BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
4 C
40

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

54. 2. 6

54
A
1. 8*

54-F-7

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

L. FROMONDI

SYCOPHANTA.

EPISTOLA

AD GISB. VOETIVM,

In Gymnaſio Vltraiectino S. Theol. Profeſſorem.

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu



LOVANII,

Apud IACOBVM ZEGERS.

Cum Priuilegio, Anno 1640.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. FROMONDI SYCOPHANTA.

EPISTOLA *AD GISB. VOETIVM.*

DIOGENES, ſi memini, cùm diſcipulum imperitè reſpondentem audiſſet, adſtanti Præceptori alapam infregit, addens: penes eum ignorantiæ culpam eſſe, qui tam malè diſcipulum erudiſſet. In ſimili tu culpa, Giſberte Voeti, qui Ludimagiſtrum tuum Dauentrienſem nec moribus, nec diſciplinis aliter deſcobinaſti.

Si mores ſpectes, ſycophanta eſt, ſi doctrinam (præſertim Theologicam, quam tractat) Herma, aut ligneum linguæ in vacuo capite crepitaculum.

Vt primùm adſpexi, & ad ſingulas, non paginas, ſed propè lineas, *Cerberos, canes, moloſſos, talpas, porcos, aſinos, mures, ranas, ſcarabæos, bubones*, & omnes beſtias, in quas Reuerendiſſimum D. Ianſenium & me deformat, nebulonem ſtatim intellexi, qui in nos effunderet quæ è nauium veſtratium ſentinis hauſiſſet.

Itaque abieci multos menſes; præſertim cùm Clariſſimi apud vos Viri, & Cathedris Academicis conſpicui, negarent mereri reſponſionem, & *Spectrum nocturnum* eſſe dictarent, quod omnes etiam ſuæ religionis territat, famamque per rixas & meliorum iniurias colligit. Ait deinde, *noua non eſſe, quæ proferret: ſe admodum iuuenem; ac multarum rerum imperitum eſſe:* quam- Een ſpooch.

quàm fatuâ mox & ſuperbiſſimâ iactatione pronunciet, *In patria ſua plus lactis præbere capellas, quàm annoſos, & promiſſâ barbâ ſuperbientes hircos.* Quis, putas, puer iſte erit? Non defuturos quoque auguratur, qui *ſtultitiæ* eum *arguerent.* Quo nihil verius, toto libro fatuus eius calamus effudit.

Igitur ſimiles quærat, aiebam, quibus comparetur, ego hôc ætatis, iuuenibus & fatuis non componor. Tempus mihi non adeò vile, vt cum verberonibus iurgando diſperdam. Ego, Deo laus, eruditionis famam non aucupor, nec, ſi faciam, ſcurræ vnius Dauentrienſis ſycophantias magnopere metuam. Quantus *Dominus aſinus* ſim, tempora omnium oculis patent, nec aures meas, vt Midas, abſcondo.

Antea tamen non omnino ei fortaſſe rudis & amuſus videbar. *Numerabam antehac*, inquit, *Fromondum inter eos, qui Papæ ob ſolam offam, lucellum, & commoditatem adhærent, eique applicabam illud Auguſtini: Philoſophi huius Mundi ſæpè aliter docuerunt, quàm ſenſerunt.* Sed ecce, eheu, calamitas mea! *Verùm quàm longè*, exclamat, *me deceptum eſſe video? Theologiæ Doctor inter fratres ignorantia adhuc deſidet, cæcoque duntaxat zelo religionem propugnat, cuius myſteria non nouit ipſe.*

Ita ſubitò, conſpectâ noſtrâ CRISI, quæ fidem Orthodoxam aduerſus inſanias veſtras propugnat, nihil ampliùs ſcire cœpi; imò, tanquam ſocius Vlyſſis, ex homine in pecus, nec ſimplex, ſed vniuerſa quibus petulantiſſimum Libellum ſuum efferat, reformatus ſum. Ego enim paſſim, *Dominus aſinus, cerberus, brutum, canis, talpa.* Ad hæc, *fungus, cucurbita togata, truncus, ſtipes, Papicola furioſus, ornandus Nolis & Anticyras ablegandus*, aliaque tam densè & fatuè conſtipata, vt copia faſtidiũ colligendi, & riſum effuſum fecerit; ineptia enim ridicula fit, cùm modum excedit. Tam enim profeſſo & affectato conatu in mei depreſſionem laborat, vt nullibi

Digitized by Google

nullibi fermè nomen meũ (quod vbique ſpiſſiſſimè inculcat) ſine turpi & ſycophantico ſcommate enunciet.

Nec ego tantùm, ſed Ianſenius quoque vbique, *fungus*, *ineptus*, *imperitia pluſquam aſinina*, *rabula mitratus &c.* Baronius *impudentiſſimus*, *& fatuus*, omnes ſacerdotes Hollandiæ, *pecudes & aſini*, omnes vbique presbyteri, *ficoſi ſacrificuli.*

Et hæc calamo refellerem? aiebam tacitus. Alius potiùs me valentior, qui nodoſo & tricubitali fuſte coſtas & latera furciferi dedolabit.

Propoſitum enim eius, nemo tam obtuſus qui non in primo ſtatim limine deprehendat; detrahendi, inquam, auctoritatem Scriptori Criſeos, quam *bonis Catholicis per Hollandiam ſatisfeciſſe*, ſtupidus ſilere non potuit. Alibi etiam, *propter ſimplices Lectores*, ait, *plumas mihi detrahit.* Quid enim feciſſet? Stantem Eccleſiæ Catholicæ doctrinam deijcere non poterat, quod tot ante eum validiores fruſtrà conati; igitur placuit Auctorem aggredi, & omnibus, quas petulantiſſima imaginatio fingere valuit, calumnijs, mendacijs, beſtiarum pellibus, ſtercoribus, & mille alijs ſycophantijs onuſtũ ſupplantare.

Vide enim quos floſculos & odores amabiliſſimus tuus diſcipulus in nos ſpargat. *Scriptio tota ſtercorea*, *Libelli cacati*, *aſinorum crepitus*, *ſtercus in laterna*, *plauſtra ſtercorea Rom. Eccleſiæ*, *ſtercora Ianſeniana*, *ſaccharatum ſtercus*, *Papa ſtercoreus Deus*; *ſtercoreus Papa egeritur*, & eiuſdem officinæ croci, quibus chartas ſuas largiter inaurat. Homo, puto, in foricis & latrinis Vltraiectenſibus natus educatuſque, ideoque ſimiles Libros parit. Et adhuc metuit, ne *plauſtra conuitiorum in caput eius exonerem?* Cautio eſt: non faciam, Voeti. Si ſcurra in plateâ ſtercoribus me inceſſat, an ad ſterquilinium decurram, & reſpergam contrà? Abeam ſilentio potiùs, ſi ſanus ſim, & vidiſſe etiam diſſimulabo.

Digitized by Google

In noſcitando deinde Criſis meæ ſcopo, vt Vertumnus & vitulus eſt, gyratque quòcumque eum vertigo abſtulerit! Nunc animo paraſitandi & propter *Ianſenianam offam*, nunc etiam propter (ſi Deo placet) Hollandicam, ſuſcepiſſe me hoc patrocinium coniectat. *Datiui*, inquit, *ſunt Catholici Hollandiæ, & liberalitate ſua famelicum Clerum ſuſtentant. Reditus per bellorum furias admodum acciſi & attenuati ſunt, non ſufficiunt ſaginandis otioſis ventribus. Hollandicæ ſtipes & eleemoſynæ accedere debent. Probo tuam, Fromonde, prouidentiam. Quid iuuat enim abſque honorario & præmio cum deſperabundo Voetio congredi, & periculum famæ, valetudinis, ac vitæ adire?* Quam pænè rem acu tetigiſti! Audi vitule: Satis nobis, Deo laus, adhuc hîc lactis eſt, & citiùs tu Dauentrienſes hircos, quàm ego Hollandicas vaccas mulgeam.

Nunc etiam me, & omnes Doctores excitat, vt te agmine facto, ſpe *bicipitis Mitræ*, calamis inuadamus; quia credit Ianſenium ex calamario tecum bello, ſpolium illud retuliſſe. Et vide, quæſo, eius ſtultitiam. *In ærarium*, inquit, *legem hanc Hiſpanicus Senatus depoſuit: vt qui Voetio crucis Siluaducenſis hoſti, & rediuiuo Luthero congreſſus fuerit, Phyllida accipiat. Animaduertite hoc Abbates, Prælati, Ieſuitæ, Doctores omnes, & gnauiter in roſarijs veſtris precamini, vt minutulus & pauperculus Voetius diu perennet. Quàm diu enim ſuperſtes erit, nunquam ſtrenuo Pyrgopolinici præcluſa erit via graſſandi ad Mitræ delicias.*

Tibi aſſentatur, noli credere, mi Voeti. Spongia quæ maculas tuas deleuit, non euexit Ianſenium. Hiſpanis ignotus es,

Et te haud magis reſpiciunt, natus quàm nunquam ſies.
Abbates & Doctores ſecurè, & extra iactum teli bicornis, tecum congrediantur, non ideo, ſpondeo, in cuiuſquam caput cadet.

Riſi etiam non ſemel, cùm eloquentiam, ſi quã mihi Deus, & ſtudium iuuentutis olim dedit, perpetuò *lo-*

quentiam, ineptè & pueriliter appellari vidi. Nec ex animo, opinor, ſed vt Agellij Salluſtium ſe legiſſe oſtenderet. Aut certè, ne meam ipſe mihi loquentiam, ego eloquentiæ Dauentrienſis Profeſſori barbariem, ſolœcos, & culinarij ſermonis ſordes (rem in eâ Profeſſione maculoſam) nunquam inuidebo. Agell. lib. 1. cap. 15.

Refellere autem eum minutatim, & totum Augiæ ſtabulum euerrere, ſtultior & olidior ipſo ſim, ſi aggrediar. Vnde nec nominatim volui; quia ſycophantæ à Muſarum ſacris reijculi ſunt, & nomina eorum eruditis & pudentibus earum cultoribus negant debere permiſceri. Doctrinæ etiam in eo minimum eſt, & modò conuitia, calumniæ, ſcurrilitates, ſcommata, cæteræque ineptiæ, id eſt, infames buboni plumæ reuellantur, vix paſſerculi vnius caruncula ſuper erit.

Quædam tamen iterum attingam, hæreſes illas præſertim olim damnatas, quarum ſcruta ad conſarcinandam Helenæ veſtræ ſtolam rapuiſtis. Oſtendamque, ne vnum quidem è tot panniculis legitimè diſſuiſſe, quantumuis gloriâ operæ hîc egregiè nauatæ inflatus ita crepet. Quod ſi fecero, omnia effecero, id eſt, Cauſæ veſtræ deſperationem, & vos apertè hæreticos oſtendero. Qua enim fronte, veteris Eccleſiæ & SS. Patrum fidem iactare poteſtis, qui hæreticorum illius æui, quæ Patres oppugnauerunt dogmata ferè omnia in vnum centonem conſuiſtis? Certè enim, ſi veſtra peruerſitas in illa tempora incidiſſet, non in Eccleſiæ Catholicæ caſtris, vbi SS. Patres ordines ductabant, ſed in acie Simonis, Manichæi, Iouiniani, Pelagij, & hæreticorum, contrariâ ſtetiſſetis.

Et quanquam Ianſenij Spongia, & Criſis noſtra ſat euidenter id demonſtrarint, iuuat tamen luce nouâ tenebras à diſcipulo tuo infirmis oculis fortè offuſas diſpellere.

CAPVT I.

Caluiniſtæ, doctrinâ fidei ſuæ iuſtificantis, Simoniani, & Iouianiſtæ ſunt, & omnibus flagitijs fibulam laxant.

PRima Criſis obiectio, Simonis Magi & veterum hæreticorum error fuit, de fide ſolâ iuſtificante, natus ex perpero Apoſtoli, Rom. 3. intellectu: *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis.* Quo etiam, tanquam validiſſimo tibicine hæreſim veſtram fulcitis.

Rom. 3.

Quid ad hæc Ludimagiſter tuus? Negat vos eſſe *bonorum operum hoſtes.* Et *ſi tu Fromonde,* inquit, *vel vnum ex omnibus noſtris Theologis oſtendere poſſis, qui ſuaſerit fidelibus carnalem ſecuritatem, & docuerit nihil referre, quacunque etiam ratione iuſtificatus, vitam ſuam inſtituat, eum Simone Mago deteriorem eſſe ſtatuam: Eccleſiam verò qua tale monſtrum tolerat, plus quàm hæreticam.*

Deſper. Cauſ. Pap. cap. 38.

Credo paucos eſſe, qui hodie palàm iſta audeant, ne cum Epicureis à vulgo honeſtiore lapidentur. Sed non hoc iam quæritur: ſed, an Caluinus & vos paſsim diſcipulis veſtris non inculcetis, fidem ſolam, ſine operibus bonis, verè & coram Deo iuſtificare, & ad vitam æternam ſufficere? Annuis, haud dubiè. Atqui hæc vetuſta & damnata olim hęreſis eſt. Nec reponas mihi, Simon, Eunomius, Iouinianus, neſcio quid aliud errori ſuo addiderant. Eadem interim Helena eſt, etſi aliâ fortè amicta veſte; nec amictus tantùm, ſed quod ſub eo latet, & vos hodie amplexamini, eſt ab vniuerſa Eccleſia olim damnatum.

Securitatem verò *carnalem* ex doctrinæ iſtius fonte euidentiſſimè manare, quis non videt? Si enim ſola fides iuſti-

des iuſtificat, & filios Dei adoptiuos facit, nec opera bona hilum ad illuſtriorem gloriæ coronam in cælis adijciant, vt quid nos fatigare laboribus, attenuare ieiunijs, fraudare bonis? inquient Pſeudochriſtiani veſtri. *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ.* Credamus tantùm, & ſancti faluique erimus. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur,* & ad cælum ibimus. Sap. 2. Iſa. 22. 1. Cor. 15.

Sed per flagitia fortè fide ſuâ iuſtificante & reformatâ Caluiniſtæ excident. Nihil minus. Huic periculo, alio dogmate veſtro ſuccurriſtis. Fides enim Caluiniſtica, ſemel animo infixa, nunquam excidit. Dordraceni enim Proceres Arminianis nuper, tanquam capitalem hæreſim obiectauerunt: *Quòd docerent, verè credentes & regenitos, non tantùm poſſe à fide iuſtificante, item gratiâ & ſalute totaliter & finaliter excidere, ſed etiam reipſa non rarò ex ijs excidere, atque in æternum perire.* Firmantque credentium ſuorum ſecuritatem, Apoſtolico teſtimonio: *Si Chriſtus pro nobis mortuus eſt, cum adhuc peccatores eſſemus, multo igitur magis, nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.* Quod *vt Synoditis faueat, ſic eſt exponendum,* ait erudititiſſimus Arminianorum Dan. Tilenus: *Si Deus iuſtificauit fideles, antequam tales eſſent, quanto magis eos eſt iuſtificaturus & ab ira ſua immunes ſeruaturus, poſt fidem ſuſceptam; licet omnibus ſceleribus & flagitijs indulgeant. Quem ſenſum,* inquit, *Epicureiſmi* (audis Ludimagiſter) *præconibus adlubeſcere, non eſt mirandum.* Deinde Arminianis à Synoditis illis obiectum eſt: *Quòd doceant, verè fideles ac regenitos poſſe peccare peccato ad mortem.* Vnde etſi fateantur ſuos fideles, *in peccata etiam grauia & atrocia abripi;* negant tamen, *eouſque eos prolabi, vt gratiâ adoptionis & iuſtificationis ſtatu excidant.* Id eſt, omnia peccata veſtrorum fidelium, quantumuis atrociſsima, venialia tantùm ſunt, quandoquidem gratiam & animæ vi-

Synod. Dordrac. Rom. 5. Dan. Tilen. Not ad Canon. Dordrac. c. 5. Synod. Dordrac.

8
4 C
40
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

54. 2. 6
54
F
1. 8*
54-F-7

Digitized by Google

L. FROMONDI

SYCOPHANTA.

EPISTOLA

AD GISB. VOETIVM,

In Gymnaſio Vltraiectino S. Theol. Profeſſorem.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

LOVANII,

Apud IACOBVM ZEGERS.

Cum Priuilegio, Anno 1640.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. FROMONDI SYCOPHANTA.

EPISTOLA AD GISB. VOETIVM.

DIOGENES, ſi memini, cùm diſcipulum imperitè reſpondentem audiſſet, adſtanti Præceptori alapam infregit, addens: penes eum ignorantiæ culpam eſſe, qui tam malè diſcipulum erudiſſet. In ſimili tu culpa, Giſberte Voeti, qui Ludimagiſtrum tuum Dauentrienſem nec moribus, nec diſciplinis aliter deſcobinaſti.

Si mores ſpectes, ſycophanta eſt, ſi doctrinam (præſertim Theologicam, quam tractat) Herma, aut ligneum linguæ in vacuo capite crepitaculum.

Vt primùm adſpexi, & ad ſingulas, non paginas, ſed propè lineas, *Cerberos, canes, moloſſos, talpas, porcos, aſinos, mures, ranas, ſcarabæos, bubones*, & omnes beſtias, in quas Reuerendiſſimum D. Ianſenium & me deformat, nebulonem ſtatim intellexi, qui in nos effunderet quæ è nauium veſtratium ſentinis hauſiſſet.

Itaque abieci multos menſes; præſertim cùm Clariſſimi apud vos Viri, & Cathedris Academicis conſpicui, negarent mereri reſponſionem, & *Spectrum nocturnum* eſſe dictarent, quod omnes etiam ſuæ religionis territat, famamque per rixas & meliorum iniurias colligit. Ait deinde, *noua non eſſe, quæ proferret: ſe admodum iuuenem; ac multarum rerum imperitum eſſe:* quam- Een ſpooch.

quàm fatuâ mox & ſuperbiſſimâ iactatione pronunciet, *In patria ſuâ plus lactis præbere capellas, quàm annoſos, & promiſſâ barbâ ſuperbientes hircos.* Quis, putas, puer iſte erit? Non defuturos quoque auguratur, qui *ſtultitiæ* eum *arguerent.* Quo nihil verius, toto libro fatuus eius calamus effudit.

Igitur ſimiles quærat, aiebam, quibus comparetur, ego hôc ætatis, iuuenibus & fatuis non componor. Tempus mihi non adeò vile, vt eum verberonibus iurgando diſperdam. Ego, Deo laus, eruditionis famam non aucupor, nec, ſi faciam, ſcurræ vnius Dauentrienſis ſycophantias magnopere metuam. Quantus *Dominus aſinus* ſim, tempora omnium oculis patent, nec aures meas, vt Midas, abſcondo.

Antea tamen non omnino ei fortaſſe rudis & amuſſus videbar. *Numerabam antehac*, inquit, *Fromondum inter eos, qui Papæ ob ſolam offam, lucellum, & commoditatem adhærent, eique applicabam illud Auguſtini: Philoſophi huius Mundi ſæpè aliter docuerunt, quàm ſenſerunt.* Sed ecce, eheu, calamitas mea! *Verùm quàm longè*, exclamat, *me deceptum eſſe video? Theologiæ Doctor inter fratres ignorantiæ adhuc deſidet, cæcoque duntaxat zelo religionem propugnat, cuius myſteria non nouit ipſe.*

Ita ſubitò, conſpectâ noſtrâ CRISI, quæ fidem Orthodoxam aduerſus inſanias veſtras propugnat, nihil ampliùs ſcire cœpi; imò, tanquam ſocius Vlyſſis, ex homine in pecus, nec ſimplex, ſed vniuerſa quibus petulantiſſimum Libellum ſuum efferat, reformatus ſum. Ego enim paſſim, *Dominus aſinus, cerberus, brutum, canis, talpa.* Ad hæc, *fungus, cucurbita togata, truncus, ſtipes, Papicola furioſus, ornandus Nolis & Anticyras ablegandus,* aliaque tam densè & fatuè conſtipata, vt copia faſtidiũ colligendi, & riſum effuſum fecerit; ineptia enim ridicula fit, cùm modum excedit. Tam enim profeſſo & affectato conatu in mei depreſſionem laborat, vt nullibi

Digitized by Google

nullibi fermè nomen meũ (quod vbique ſpiſſiſſimè inculcat) ſine turpi & ſycophantico ſcommate enunciet.

Nec ego tantùm, ſed Ianſenius quoque vbique, *fungus, ineptus, imperitia pluſquam aſinina, rabula mitratus &c.* Baronius *impudentiſſimus, & fatuus*, omnes ſacerdotes Hollandiæ, *pecudes & aſini*, omnes vbique presbyteri, *ficeſi ſacrificuli.*

Et hæc calamo refellerem? aiebam tacitus. Alius potiùs me valentior, qui nodoſo & tricubitali fuſte coſtas & latera furciferi dedolabit.

Propoſitum enim eius, nemo tam obtuſus qui non in primo ſtatim limine deprehendat; detrahendi, inquam, auctoritatem Scriptori Criſeos, quam *bonis Catholicis per Hollandiam ſatisfeciſſe*, ſtupidus ſilere non potuit. Alibi etiam, *propter ſimplices Lectores*, ait, *plumas mihi detrahit.* Quid enim feciſſet? Stantem Eccleſiæ Catholicæ doctrinam deijcere non poterat, quod tot ante eum validiores fruſtrà conati; igitur placuit Auctorem aggredi, & omnibus, quas petulantiſſima imaginatio fingere valuit, calumnijs, mendacijs, beſtiarum pellibus, ſtercoribus, & mille alijs ſycophantijs onuſtũ ſupplantare.

Vide enim quos floſculos & odores amabiliſſimus tuus diſcipulus in nos ſpargat. *Scriptio tota ſtercorea, Libelli cacati; aſinorum crepitus, ſtercus in laterna, plauſtra ſtercorea Rom. Eccleſiæ, ſtercora Ianſeniana, ſaccharatum ſtercus, Papa ſtercoreus Deus, ſtercoreus Papa egeritur*, & eiuſdem officinæ croci, quibus chartas ſuas largiter inaurat. Homo, puto, in foricis & latrinis Vltraiectenſibus natus educatuſque, ideoque ſimiles Libros parit. Et adhuc metuit, ne *plauſtra conuitiorum in caput eius exonerem?* Cautio eſt: non faciam, Voeti. Si ſcurra in plateâ ſtercoribus me inceſſat, an ad ſterquilinium decurram, & reſpergam contrà? Abeam ſilentio potiùs, ſi ſanus ſim, & vidiſſe etiam diſſimulabo.

In noſcitando deinde Criſis meæ ſcopo, vt Vertumnus & vitulus eſt, gyratque quòcumque eum vertigo abſtulerit! Nunc animo paraſitandi & propter *Ianſenianam offam*, nunc etiam propter (ſi Deo placet) Hollandicam, ſuſcepiſſe me hoc patrocinium coniectat. *Datiui*, inquit, *ſunt Catholici Hollandiæ, & liberalitate ſua famelicum Clerum ſuſtentant. Reditus per bellorum furias admodum acciſi & attenuati ſunt, non ſufficiunt ſaginandis otioſis ventribus. Hollandica ſtipes & eleemoſyna accedere debent. Probo tuam, Fromonde, prouidentiam. Quid iuuat enim abſque honorario & præmio cum deſperabundo Voetio congredi, & periculum famæ, valetudinis, ac vitæ adire?* Quam pænè rem acu tetigiſti! Audi vitule: Satis nobis, Deo laus, adhuc hîc lactis eſt, & citiùs tu Dauentrienſes hircos, quàm ego Hollandicas vaccas mulgeam.

Nunc etiam me, & omnes Doctores excitat, vt te agmine facto, ſpe *bicipitis Mitræ*, calamis inuadamus; quia credit Ianſenium ex calamario tecum bello, ſpolium illud retuliſſe. Et vide, quæſo, eius ſtultitiam. *In ærarium*, inquit, *legem hanc Hiſpanicus Senatus depoſuit: vt qui Voetio crucis Siluaducenſis hoſti, & rediuiuo Luthero congreſſus fuerit, Phyllida accipiat. Animaduertite hoc Abbates, Prælati, Ieſuitæ, Doctores omnes, & gnauiter in roſarijs veſtris precamini, vt minutulus & pauperculus Voetius diu perennet. Quàm diu enim ſuperſtes erit, nunquam ſtrenuo Pyrgopolinici præcluſa erit via graſſandi ad Mitræ delicias.*

Tibi aſſentatur, noli credere, mi Voeti. Spongia quæ maculas tuas deleuit, non euexit Ianſenium. Hiſpanis ignotus es,

Et te haud magis reſpiciunt, natus quàm nunquam ſies.

Abbates & Doctores securè, & extra iactum teli bicornis, tecum congrediantur, non ideo, ſpondeo, in cuiuſquam caput cadet.

Riſi etiam non ſemel, cùm eloquentiam, ſi quã mihi Deus, & ſtudium iuuentutis olim dedit, perpetuò *loquentiam*,

quentiam, ineptè & pueriliter appellari vidi. Nec ex animo, opinor, ſed vt Agellij Salluſtium ſe legiſſe oſtenderet. Aut certè, ne meam ipſe mihi loquentiam, ego eloquentiæ Dauentrienſis Profeſſori barbariem, ſolœcos, & culinarij ſermonis ſordes (rem in eâ Profeſſione maculoſam) nunquam inuidebo. Agell. lib. 1. cap. 15.

Refellere autem eum minutatim, & totum Augiæ ſtabulum euerrere, ſtultior & olidior ipſo ſim, ſi aggrediar. Vnde nec nominatim volui; quia ſycophantæ à Muſarum ſacris reijculi ſunt, & nomina eorum eruditis & pudentibus earum cultoribus negant debere permiſceri. Doctrinæ etiam in eo minimum eſt, & modò conuitia, calumniæ, ſcurrilitates, ſcommata, cæteræque ineptiæ, id eſt, infames buboni plumæ reuellantur, vix paſſerculi vnius caruncula ſuper erit.

Quædam tamen iterum attingam, hæreſes illas prẹſertim olim damnatas, quarum ſcruta ad conſarcinandam Helenæ veſtræ ſtolam rapuiſtis. Oſtendamque, ne vnum quidem è tot panniculis legitimè diſſuiſſe, quantumuis gloriâ operæ hîc egregiè nauatæ inflatus ita crepet. Quod ſi fecero, omnia effecero, id eſt, Cauſæ veſtræ deſperationem, & vos aperte hæreticos oſtendero, Qua enim fronte, veteris Eccleſiæ & SS. Patrum fidem iactare poteſtis, qui hæreticorum illius æui, quæ Patres oppugnauerunt dogmata ferè omnia in vnum centonem conſuiſtis? Certè enim, ſi veſtra peruerſitas in illa tempora incidiſſet, non in Eccleſiæ Catholicæ caſtris, vbi SS. Patres ordines ductabant, ſed iu acie Simonis, Manichæi, Iouiniani, Pelagij, & hæreticorum, contrariâ ſtetiſſetis.

Et quanquam Ianſenij Spongia, & Criſis noſtra ſat euidenter id demonſtrarint, iuuat tamen luce nouâ tenebras à diſcipulo tuo infirmis oculis fortè offuſas diſpellere.

des iuſtificat, & filios Dei adoptiuos facit, nec opera bona hilum ad illuſtriorem gloriæ coronam in cælis adijciant, vt quid nos fatigare laboribus, attenuare ieiunijs, fraudare bonis? inquient Pſeudochriſtiani veſtri. *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ.* Credamus tantùm, & ſancti ſaluique erimus. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, & ad cælum ibimus. Sap. 2. Iſa. 22. 1. Cor. 15.

Sed per flagitia fortè fide ſuâ iuſtificante & reformatâ Caluiniſtæ excident. Nihil minus. Huic periculo, alio dogmate veſtro ſuccurriſtis. Fides enim Caluiniſtica, ſemel animo infixa, nunquam excidit. Dordraceni enim Proceres Arminianis nuper, tanquam capitalem hæreſim obiectauerunt: *Quòd docerent, verè credentes & regenitos, non tantùm poſſe à fide iuſtificante; item gratiâ & ſalute totaliter & finaliter excidere, ſed etiam reipſa non rarò ex ijs excidere, atque in æternum perire.* Firmantque credentium ſuorum ſecuritatem, Apoſtolico teſtimonio: *Si Chriſtus pro nobis mortuus eſt, cum adhuc peccatores eſſemus, multo igitur magis, nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.* Quod *vt Synoditis faueat, ſic eſt exponendum*, ait erudiriſſimus Arminianorum Dan. Tilenus: *Si Deus iuſtificauit fideles, antequam tales eſſent, quanto magis eos eſt iuſtificaturus & ab ira ſua immunes ſeruaturus, poſt fidem ſuſceptam; licet omnibus ſceleribus & flagitijs indulgeant. Quem ſenſum*, inquit, *Epicureiſmi* (audis Ludimagiſter) *præconibus adlubeſcere, non eſt mirandum.* Deinde Arminianis à Synoditis illis obiectum eſt: *Quòd doceant, verè fideles ac regenitos poſſe peccare peccato ad mortem.* Vnde etſi fateantur ſuos fideles, *in peccata etiam grauia & atrocia abripi*; negant tamen, *eouſque eos prolabi, vt gratiâ adoptionis & iuſtificationis ſtatu excidant.* Id eſt, omnia peccata veſtrorum fidelium, quantumuis atrociſsima, venialia tantùm ſunt, quandoquidem gratiam & ani- Synod. Dordrac. Rom. 5. Dan. Tilen. Not ad Canon. Dordrac. c. 5. Synod. Dordrac.

mæ vi-

mæ vitam non interficiant. Quo nihil ſolutius dici poteſt, ad relaxandam fibulam omnibus libidinibus & nequitijs corruptæ & maledictæ noſtræ carnis. Vnde meritò Tilenus Dordracenos Gomariſtas hoc dogmate, *Libertinos* appellat, *Epicuri de grege porcos, & certitudinem illam perſeuerantiæ,* quam in fidelibus ſuis iactant, *certiſſimam pietatis peſtem.*

Similis error & diſſolutio in Iouiniano hæretico olim notata. *Nititur approbare* ait S. Hieronymus, *eos qui plena fide in baptiſmate renati ſunt, à diabolo non poſſe ſubuerti.* Vnde alibi idem Sanctus: *Voluptatum libidiniſque Doctores dicuntur conſuere puluillos, & ponere ſub omni cubito manus, vt Epicurei & Pyrrhonij, & apud nos Iouinianus & Eunomius: qui dicunt, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Nec eſt, vt ſperes effugere hanc infamiam, per ſubtilem rimam diſtinctionis inter ius, & actualem poſſeſſionem vitæ æternæ. *Diſtinguimus inter ius vitæ æternæ, & actualem eius poſſeſſionem,* clamat tuus diſcipulus. *Ius certò credimus nos conſequi per vnius Chriſti merita, quæ ſaluificâ fide amplectimur, & nobis vnimus. Vnde in eo noſtram iuſtificationem coram Deo conſtituimus. Ad actualem verò poſſeſſionem vitæ æternæ conſequendã, bona opera dicimus eſſe neceſſaria, eamque cum Bernardo viam eſſe credimus, per quam incedimus ad gaudia cælorum.* Sed nebulæ tantùm oculis ſimplicium offuſæ ſunt. Dic enim nobis clarè & apertè: An pertinaciſſimus verbi apud vos Miniſter, qui homicida, inceſtuoſus, aut adulter moritur, poſſeſſionem vitæ æternæ ineat, an non? Sine dubio, inibit. *Ius* enim habet, & *coram Deo, per fidem* veſtram *ſaluificam eſt iuſtus.* Iniuria ergo ei fiat, ſi à vitæ æternæ poſſeſſione repellatur. Et tamen iſte, non per arctam caſti Bernardi viam, ſed per latam fornicatorum peruenit *ad gaudia cælorum.* Quid tergiuerſamini, & Mundo illuditis? Nónne doctrina veſtra eſt: Omnes reformatos & fideles veſtros, quantumuis moribus deformes, credere debere

S. Hieron. lib. 1. cap. 2. contra Iouin.

In cap. 13. Ezech.

debere fide diuinâ, quæ fallere non poteſt, ſe ad vitam æternam eſſe prædeſtinatos? *Neminem vobis verum eſſe Chriſtianum*, vt obijcit Dordraoenſibus Synoditis Cabalæ Gomariſticæ ſcientiſsimus Tilenus, *niſi qui (etiamſi ſceleribus & flagitijs ſit coopertus) eâdem fidei certitudine credat, ſe eſſe electum ad vitam, quâ credit Chriſtum eſſe Deum, aut Deum eſſe?* Ite iam, & verbis bonorum operum neceſsitatem prædicate, quam fides veſtra iuſtificans re ipsâ tam palàm interficit; Epicurei Chriſtianorum, vt olim de Iouiniſtis Hieronymus, *Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.* Quidni enim faciatis? Iouinianus *nitebatur approbare*, ait Hieronymus, *eos qui plena fide in baptiſmate renati eſſent, à diabolo non poſſe ſubuerti:* Vos etiam fide diuina creditis, fideles veſtros nunquam ita ſubuerti, vt iuſtitiâ, & vitâ æternâ valeant excidere. Nam quamuis *in peccata etiam grauia & atrocia abripi poſſint, Deus tamen Spiritum ſanctum ab ijs non prorſus aufert*, vt magiſtraliter decernunt Patres veſtri Dordracenſes, *nec eos eouſque prolabi ſinit, vt gratiâ adoptionis, iuſtificationis ſtatu excidant, aut peccatum ad mortem, ſiue in Spiritum ſanctum committant.* O felices Gomariſtæ, quibus peccata etiam atrocia, *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia*, culpæ leues & veniales ſunt; & Papiſtis tantùm (ſcilicet) non vobis minatur Apoſtolus, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur!*

Dan. Tilen. in Not. ad Can. Dordrac.

S. Hierony. lib. 1. c. 2. contra Iouin.

Synod. Dordrac.

Galat. 5.

CAPVT II.

Caluiniſtæ arbitrij libertatem, etiam in actibus indifferentibus, & malis negant.

SImon, Marcion, Manichæus olim arbitrij libertatem negauerunt; quod vos hodie facitis. Quid ergo indignamini, quòd Criſis noſtra vos caſtris hæreticorum illorum accenſuit? Nónne pater veſter Lutherus aduerſus Eraſmum exertè clamat, voluntatem humanam in omnibus ſuis actibus, *motu omnipotentiæ diuinæ rapi?* Et hinc fieri, *vt impius non poſſit non ſemper errare & peccare; quia raptu diuina potentia motus, ottari non ſinitur: velit autem, cupiat, faciat taliter, qualis ipſe eſt?* Et de voluntate indurati Pharaonis: *Hæc voluntas eius mala,* inquit, *ſe ſola non moueretur aut induraretur, ſed omnipotens Actor, cùm illam agat ineuitabili motu, vt reliquas creaturas, neceſſe eſt, eam aliquid velle. Tum ſimul foris offert, quod naturaliter illam irritat & offendit. Fit, vt Pharao non poſſit vitare indurationem ſui; ſicut vitare non poteſt & omnipotentia diuinæ actionem, & auerſionem ſeu malitiam ſuæ voluntatis.* Et Deum loquentem inducens, quo modo induraturus ſit cor Pharaonis: *Faciam vt cor Pharaonis me operante & faciente induretur: ſcilicet intus generali motu ipſam mouebo voluntatem malam, vt ſuo impetu & curſu volendi pergat, nec ceſſabo mouere, nec poſſum aliter.* Et hæc omnia ex vnâ Scripturâ perperàm intellectâ, *Qui operatur omnia in omnibus.* Vt ſciremus, hæreticos hodie, vt olim, Scripturarum ſiliquas, non fructum habere, & qui ſe iactant Euangelicos, Euangelio carere. *Non enim in verbis Scripturarum eſt Euangelium, ſed in ſenſu,* ait Hieronymus. *Non in ſuperficie, ſed in medulla. Non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis.*

Luther. lib. de ſeruo arbit.

1. Cor. 12.

S. Hierony. in cap. 1. ad Galat.

Hinc

Digitized by Google

Hinc ad Lutherum Eraſmus: *Paſſim à militibus (do-* Eraſ. in Hyperaſp.
ctrinâ Lutheranâ eruditis) *audimus: Quid refert? Non eſt liberum arbitrium, Deus omnia operatur in nobis & bona & mala. Sinamus illum operari, ſcit quid agat, & eius voluntati nemo reſiſtit.*

Ac poſtea: *In tua aſſertione doces, adeò nullum eſſe liberum arbitrium, vt ne feſtucam quidem moneamus è terra, niſi abſoluta neceſſitate.*

Simillima Luthero Caluinus; docetque voluntatem humanam à Deo in actus non tantùm bonos, ſed indifferentes, & etiam malos, ineuitabili neceſſitatis impulſu præcipitari. Imò dicere audet, non ſolùm hominem in maſſam damnationis delapſum, ſic à Deo in malum & ſcelera agi, ſed ipſum Adamum adhuc innocentem, *Dei voluntate & prædeſtinatione* in præuaricatio- Caluini lib. 3. c. 23 Inſtit.
nem, irreſiſtibili (vt barbari hodie Caluiniſtæ loquuntur) neceſſitate adactum. Præclarè Tilenus: *Adamum, in eoque omnes homines, ex æterno & immutabili voluntatis* Tilen. in Not. ad Can. Dordrac.
diuinæ decreto, neceſſariò peccaſſe, docuerunt Zuinglius, Bucerus, Caluinus, Beza, Zanchius, ac plerique omnes, quos tanquam maiorum gentium Theologos ſuſpicit ac veneratur Geneuenſis Stoa. Additque, *Patres Dordracenos hæc pudenda vlcera diſsimulaſſe, nec definire auſos, liberè, an neceſſariò peccarit Adamus; velare contentos, quod attingere fœdum; medicare, non amplius videbatur integrum. Atque hæc*, inquit, *non poſtrema cauſa fuit, cur à Synodo ſubmoti fuerint Remonſtrantes: ne videlicet, hanc eſſe aduerſariorum doctrinam* ὀφθαλμοφανῶς *oſtenderent.*

Et aduerſus Molinæum narrat Coruinus, *Gomariſtis obiectum in ſcriptis Synodicis, quòd humanarum omnium actionum in vniuerſum, ineuitabilem neceſſitatem introducerent.* Arnol. Coruin. cap. 35. Cenſur.
Vnde liquet non eſſe meam *calumniam*, vt diſcipulus tuus mihi impingit, ſed malitiam, aut ignorantiam eius, dum *Lutherum, Zuinglium, Caluinum, liberum arbitrium negaſſe*, aſſerui. Sed *falſum eſt*, clamat ipſe, *eos li-*

 berum

Digitized by Google

berum arbitrium naturale tollere. Simul enim deberent voluntatem animæ eripere: quæ non poteſt eſſe voluntas, niſi etiam libera ſit. Et altiùs vocem tollens: *Si oſtendere poſsis vel vnum locum, Fromonde, ex eorum ſcriptis, eos non tantùm infra hæreticos, ſed homines quoque collocabo.*

Sed non de facultate ipſa animæ iam eſt quæſtio, ſed de eius vſu: An videlicet homines in omnibus actionibus agantur extrinſecus fatali quodam neceſſitatis impulſu, quem nequeant ſiſtere, vt Stoici olim cum hæreticis affirmauerunt; an molli, quem frenare queant, delapſu in eas ſe demittant. Quid enim iuuat, voluntatem naturaliter liberam habere, ſi in omnibus vniuerſim actibus, bonis, malis, indifferentibus, abeſt vſus libertatis? Hoc autem affirmant veſtri. Imò, ſi Philoſophi ſunt, etiam voluntatem, quæ ſit facultas naturaliter libera, homini eripere debent. Nam facultas, ſiue potentia eſt naturalis pronitas in ſuum actum, cuius natura ex actu, tanquã mater ex partu ſuo cognoſcitur. Vnde ſi nullus actus eius naturaliter liber eſſe poteſt, nec ipſa profectò potentia magis naturaliter libera erit, quàm appetitus brutorum; ſicque Heroës veſtri non tantùm infra hæreticos, ſed infra homines, in categoriam brutorum euoluentur.

Non opus autem, veteris Eccleſiæ & Patrum teſtimonijs chartam onerare, quibus hæreſim veſtram obruamus; breuiſſimè, ex omnium aſſenſu, Hieronymus: *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur. Alioqui vbi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt.*

S. Hierony. lib. 2. cap. 11 contra Iouin.

CAPVT

CAPVT III.

Caluiniſtæ Deum peccati auctorem reapſe faciunt, etſi verbis negent.

EVerſâ hominis, per Dei raptum, libertate, ſequitur Deum, non tantùm bonorum operum, ſed malorum omnium auctorem eſſe. Qui enim voluntatem, non vt liberam tractat molliterque ducit, ſed vt ſeruā verſat, & impetu quodam effreni in affectus omnes rectos, prauos, ſine diſcrimine impellit; quomodo non magis omnium auctor, quàm obnoxia voluntas, quæ motus iſtos omnipotentis magis patitur, quàm agit? Vnde conſequitur, Deum non tantùm permittere, ſed etiam velle peccata hominum. Raptus enim ille humanæ voluntatis ad malum, ex æterno & efficace Dei decreto fluit, quo voluntatem, tanquàm inſtrumentum ſuum, rapere per ſcelera & ſordes peccatorum, ad finem deſtinatum conſtituit. Hinc *Makouius in ipſa Synodo Dordracena, probaturum ſe recepit*: Deum peccata velle: Deum ordinare homines ad peccatum, quà peccatum eſt: *publicè profeſſus*, inquit Tilenus, *ni hæc placita mordicus teneantur, in Remonſtrantium caſtra tranſeundum eſſe. Et præclarus iſte nefarij & abominandi dogmatis aſſertor*, addit Tilenus, *non modò nullum ob eam cauſam diſcrimen adijt, verùm etiam* ὀρθοδοξίας *elogio ornatus abijt.* Quia tamen, *Deum eſſe auctorem peccati*, aut *velle iniquitatem*, infame & abominabile dogma eſt, & Scripturis apertè contrarium, verbis ſaltem declinare ſolent. Vnde *vnius tantùm rei blandè à Synodo admonitus Makouius*, inquit Tilenus: *ne deinceps illam, ſiue Stoicam, ſiue Manichaicam Empuſam, omni veſte detractâ, nudam oſtenderet auditoribus ſuis, ad hanc* ἐκπομπείαν *non ſatis præparatis. Eam enim non niſi apto mangonio interpolatam, concinnatoque iam à Sy-*

Tilen. in Not. ad Canon. Dordrac.

noditis ſchemate comptam, in Orcheſtram produci oportere. Cautior enim Caluinus: *Deus,* inquit, *in ordinando hominis lapſu finem habuit optimum & rectiſſimum* (nempe, *gloriam ſuã,* vt alibi ſæpe dicit) *à quo abhorret peccati nomen. Quanquam ſic ordinaſſe dico, vt eum propriè auctorem fuiſſe non concedam.* Quaſi verò ad gloriæ ſuæ incrementum, liceat tyrannidem in miſeros ſubditos exercere, innocentes in ſcelus impellere, & deinde flammis æternis vindicare. Lex enim & ratio æterna vetat, *facere mala, vt veniant bona.* Et licet Deus nullius ſuperioris legem ſupra ſe habeat, infinitam tamen diuinæ rationis rectitudinem penes ſe habet, quâ & affectus ſuos & actiones externas rectiſſimè & ſanctiſſimè gubernat; & ni faceret, non eſſet Deus.

Caluin. lib. de æter. præ-deſtin.

Rom. 3.

Quomodo autem non eſt Deus *propriè auctor* peccati, ſi ordinat & decernit peccatum; imò ſi Satanâ, tanquã inſtrumento vtitur ad mouendas & impellendas mentes peccatorum? Nam alibi Caluinus, *Spiritum impurum,* qui agitabat Saulem, *Dei ſpiritum vocari,* dicit, *quia ad eius nutũ potentiamq́; reſpondet, inſtrumentum magis ipſius in agendo, quàm à ſe ipſe auctor.* Magis igitur propriè Deus auctor impietatis, quam in impuris illis mentibus miniſterio & inſtrumento Satanæ machinatur, quàm ipſe Satanas; ſicuti magis propriè faber, quàm ſecuris, dolat & format lignum. Deinde auctor erit inuidiæ, odij, & vniuerſæ nequitiæ ipſius diaboli & hominum impiorum (quibus velut inſtrumentis electos ſuos exercet) magis propriè, quàm ipſa inſtrumenta; quemadmodum ferrarius longè veriùs dicitur auctor motuum quibus incudem tundit, quàm ipſe malleus. Hanc difficultatem proſpiciens, & eâ oppreſſus Caluinus, *Quomodo Deus per Satanam & omnes reprobos agens,* inquit, *nullam ex eorum vitio labem contrahat, imò in opere communi ab omni culpa ſit immunis, miniſtros autem ſuos iuſtè damnet, vix capit ſenſus carnis.* Imò, ne vix quidem. Vnde alibi,

Caluin. lib. 2. c. 4. Inſtit.

Caluin. lib. 1. c. 18 Inſtit.

Digitized by Google

alibi, pro ratione rapit, & in ſenſum ſuum obtorquet illud Apoſtoli: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Cùm tamen non de impulſu hominis ſtantis in peccatum, ſed de deſertione lapſi, agat Apoſtolus, interprete Auguſtino. Deinde iubet Caluinus nos *cogitare, quis ſit Deus.* Cogitamus, Caluine: *Magnum Dominum*, ſed *laudabilem nimis. Patrem noſtrum, & miſericordiarum, Regem ſeculorum,* non tyrannum. An tibi verò non tyrannus, qui *creaturis ſuis crudeliter illudit*, cùm *pœnas luere facit eius calamitatis, in quam ipſius prædeſtinatione lapſus eſt Adam?* Quid ais, impie? Deum in creaturas ſuas crudelem eſſe, qui *lætatur in operibus ſuis*, & nihil odit eorum quæ fecit? Punire culpas, in quas prædeſtinatione ſuâ innocentes impulit? Tu tibi habeas, nos talem Deum non habemus. Nec miror ampliùs, tot hodie à Caluiniſmo tuo in Atheiſmum defluere, malintque nullum, quàm Caluini Deum habere.

Rom. 9.

Pſal. 47. 80.

Caluin. lib 3. c. 23. Inſtit.

Pſal. 103.

An quia Deus tanto interuallo, & in infinitum ſupra creaturas eminet, ſæua & dira omnia in tam profundè ſubditas, ſine cauſa exercere poteſt? Nam ſapientia, bonitas, iuſtitia, & cetera attributa potentiam circumſtantia, eam quodammodo continent, ne poſſit extendere crudeles manus. Quo enim natura diuina eminentior eſt, eo virtutes omnes in ea puriores & magis ſublimatæ, vt ne minima quidem macula, aut imperfectio in ſanctitatem illam puriſſimã cadere poſſit. Sed nec opinione noſtrâ cadit, inquietis, imò nefandæ impietatis arceſſimus, qui id affirmare audent. Verum eſt, diſertis verbis affirmare non audetis, quia tam apertè blaſphemi, lapides populi metuere ſolent; ſed Philoſophi aiunt, conſequens ſat euidenter affirmari in ſuo antecedente, ex quo inſpecto mox proſilit per neceſſariam conſequentiam. Ex doctrina autem Lutheri, Zuinglij, Buceri, Caluini, Bezæ, Martyris, id eſt Principum veſtrorum, qui dicunt Deum volunta-

tes pra-

Digitized by Google

tes prauas, perinde ac ſanctas, inſpirare; apertè conſequens eſt, vt malarum iuxtà ac bonarum voluntatum ſit auctor. Adeò vt non *indicij tantùm, ſed etiam ſenſus expers ſit*, ait veriſſimè Tilenus, *qui Deum peccati auctorem, à vobis ſtatui non animaduertit.* Quod proſpiciens Sereniſſimus Britanniæ Rex Iacobus, *Cauendum eſt*, inquit alicubi, *ne cum Puritanis quibuſdam, Deum faciamus auctorem peccati.* Cauit olim & Auguſtinus, quem vos horrendi dogmatis patronum iactatis. Ideò enim obdurationem malitiamque humanæ voluntatis à Deo in diabolũ auctorem reijcit, & Deo ſolam permiſſionẽ relinquit. *Habemus*, inquit, *quod malis angelis tribuere ſine dubitatione poſſumus: mortes pecorum*, in Ægypto, *mortes primitiuorum, & illud maximè vnde religata ſunt omnia, obdurationem cordis eorum, vt populum Dei nollent dimittere. Hanc enim iniquiſſimam & maligniſſimam obſtinationẽ Deus cum facere dicitur*, NON INSTIGANDO ET INSPIRANDO, *ſed deſerendo facit: vt illi operentur in filijs diffidentiæ, quod Deus debitè iuſteque permittit.* Sic Sancti *ſentiunt de Domino in bonitate*; vos ex φιλανθρώπω & benigniſſimo Principe tyrannum, ex Deo diabolum facitis. Vt meritò dogma veſtrum, *diabolicum* Tilenus appellauerit. Non inficior tamen, quędam Auguſtini loca duriuſcula eſſe; quæ quomodo accipienda, & ex alijs, ac fundo doctrinæ eiuſdem Sancti emollienda, ſi Pontificium nolis, Arnol. Coruinum Cap. 111. Cenſur. aduerſus P. Molinæum, adire & audire poteris. Video tamen etiam, Synoditas Dordracenos rem iſtam molliùs iam tractaſſe, perterritos, quòd ab aduerſarijs, vt ipſi teſtantur, *Doctrina Eccleſiarum Reformatarum* diceretur *eſſe carnis & Diaboli puluinar, arxque Satanæ, ex qua omnibus inſidietur, plurimos ſauciet, & multis tum deſperationis, tum ſecuritatis iaculis lethaliter configat. Eandem facere Deum auctorem peccati, iniuſtum, tyrannum, hypocritam: nec aliud eſſe quàm interpolatum Stoiciſmum, Manichaiſmum, Libertiniſmum, Turciſmum.*

Tilen. in Not. ad Can. Dordrac.

Medit. in Orat. Domin.

S. Aug. Pſal. 77.

Sap. 1.

Tilen. Paral. contra Cameron.

Synod. Dordrac.

mum. Vnde, *toto pectore ſe deteſtari*, clamant: *Quòd Deus nudo puroque voluntatis arbitrio, abſque omni vllius peccati reſpectu vel intuitu, maximam Mundi partem ad æternam damnationem prædeſtinarit & crearit.* Iſtud quoque abhorrere: *Quòd eodem modo, quo electio eſt fons & cauſa fidei ac bonorum operum, reprobatio ſit cauſa infidelitatis & impietatis.*

Vnde *primarios Reformationis auctores, Zuinglium, Caluinum, Martyrem, Bezam, Zanchium, Piſcatorem; imò & ſodales ſuos, Gomarum, Triglandium, Feſtum Homnium, & alios complures, vnà cum Remonſtrantibus, de Orthodoxorum ponte ab ipſis deiectos*, ijs improperat Remonſtrantium doctiſſimus Tilenus, & Synodum illam, *Lapitharum mutuò ſeſe lapidantium conuiuium* appellat. Deinde ſententias Zuinglij, Caluini, Martyris, Bezæ, Zanchij, Piſcatoris, id eſt, Heroum veſtrorum, verbatim refert, pugnantes cum decretis Synodi. Et eandem eſſe ait quorundam, *non modò ſuperſtitum, verùm etiam qui Synodo interfuerunt, vt videre eſt, in Reſponſ. ad Epiſtolam Miniſtrorum Walachr.* Vnde Synoditarum inconſtantiam, & diſceſſum à maiorum ſuorum veſtigijs inclamans: *Itáne depuduit Synodus*, inquit, *vt quaſi cum ſtipitibus, aut cucurbitis ei res eſſet, perſuaſuram ſe cuiquam confidat, ea quæ attulimus dicta, ab auctoribus illis non dicta, ſed à nobis conficta eſſe? Quaſi non publicè proſtent, non omnium manibus terantur eorum Libri.* Tilen. in Not. Canon. Dordrac.

Denique ſi quis attentè rem iſtam inſpiciat: *Synodi declarationem nil aliud eſſe, quàm Andabatarum dimicationem, quæ Lectorem perpetuis contradictionum verticibus, tanquam in procelloſo ſalo, huc illuc impellat, æquiuocationum ſtrophis ac præſtigijs indigniſſimè ludificet. Non auſos portenta illa Caluini, Bezæ* &c. *apertè damnare, nec oppoſitam veritatem generosè aſſerere. Sed vt equi vlceroſi, audito ſtrigilis ſtrepitu contremiſcunt; ſic ad dogmatum illorum exprobrationem cohorruiſſe quidem; interim nec ſcalpellum, nec catharticum, quo opus, adhibuiſſe.*

Digitized by Google

Plura tibi de benedicta iſta veſtra Synodo poſſem, mi Voeti; fideliora, opinor, quàm Petri Suauis Hiſtoria Tridentini.

CAPVT IV.

Caluiniſtæ, propriâ etiam confeſſione, Iouiani ſtæ ſunt, id eſt, Hieronymo, Auguſtino, & Patribus illius aui, hæretici.

IOuianiſmum iterum tibi obiectauimus, quia cum hæretico illo, *dicitis virgines, viduas, & maritatas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent ceteris operibus, eiuſdem eſſe meriti.* Inde tam rari interuos, quibus ſancta virginitas cordi, ſed vniuerſi omnes, quaſi ex incendio, ad frigidiorem ſexum euolatis, vt eius amplexu ignem extinguatis. Et *garrito tu, quantum velis, gracule,* ait amabilis tuus Veneris nepotulus; *nos tamen per Dei gratiam, non obliuiſcemur præcepti Apoſtoli, qui dicit* 1. *Cor.* 7. *Melius eſt matrimonium contrahere, quàm vri.* Sed vnde, amabò, in Eccleſia tam reformata, tam præſens, ardens, & vniuerſale periculum combuſtionis? Quare nemo inter Miniſtros continentiâ ſimilis Paulo, qui *volebat omnes eſſe, ſicut ſeipſum?* Qui *beatiorem* prædicat, *qui ſic permanſerit*; & in iſto, *Spiritum Dei ſe habere putat?* Vbi ſpiritus veteris & Orthodoxæ Eccleſiæ, cuius doctrinam in vobis reuixiſſe iactatis? Eccleſia enim illa, innumera Monachorum, Sanctimonialium virginum, & caſtorum examina habuit; apud vos, *Rara auis in terris, nigroque ſimillima cygno.* Poſt Apoſtolos, *virginitatis cultores, cuiuſmodi Ioannes & Iacobus Zebedæi filij,* inquit Epiphanius, *infinita hominum millia, quæ in hoc Mundo Monaſticam vitam amplexa ſunt, in Monaſterijs, virginumque Cœnobijs eiuſdem certaminis decus adepta ſunt.* Audis, *infinita*

S. Hierony. lib. 1. c. 1. contra Iouin.

Deſperat. Cauſ. c. 9.

1. Cor. 7.

S. Epiphan. hæreſ. 58.

Digitized by Google

nita millia? Et hanc multitudinem ex ceterorum Patrum antè & circà teſtimonijs tibi affirmare poſſum. Vnde ad Manichæos, ſimillimos vobis, Auguſtinus: *Soletis & vos,* inquit, *cum Catholicarum vobis virginum multitudo prædicatur, dicere: Etiam mula virgo eſt.* Rapite pro vobis: nihil acutius in Monachos & Sacerdotes regerere poteſtis. S. Auguſt. lib. 2. c. 13. de morib. Manichæ.

Sed *ad honeſtum legittimumque matrimonium confugimus, quando experimur nos dono continentiæ non eſſe præditos,* ait ſapiens tuus diſcipulus. Nempe hoc eſt: mavultis eſſe equi, quàm muli, galli, quàm

----- *coacti non amare capones.*

Sed quare tam pauci in vobis Angelicũ illud continentiæ donum habent, quod olim tam densè in Eccleſiã Catholicam erat ſparſum? Videte, ne hoc diſcrimen prudentibus ingerat ſuſpicionem alterius Eccleſiæ, cuius *ſapientia non deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* Cuius *Deus venter eſt*, & proxima ventris: *inimica crucis Chriſti, & terrena ſapiens. Sunt enim eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*, ait, & laudat Dominus; cur nemo veſtrum ſpiritalem iſtam nonaculam arripit? Et tamen ſuadet, vt *qui poteſt capere, capiat*; quare nullus manum extendit? Iac. 3. Philip. 3. Matth. 19.

Scio, recinet nobis cuculus tuus antiquam cantilenam: *donum continentiæ non habemus.* Sed extendite, inquam, in nomine Domini, manum, forſitan accipietis. Vnde enim incapacitatem veſtram intelligitis? An quia lancinantes carnis ſtimulos ſubinde experimini & maſculi eſtis? Atqui Paulo datus erat ſimilis angelus Satanæ, qui eum colaphizabat, & tamen continentiæ donum habebat. Cur non pugnatis, vt ille, & millia illa Monachorum, tempore S. Epiphanij, *qui neque membra ſua proprijs manibus amputantes, neque copulati nuptijs, ſed animo ac pectore dimicantes, certaminis illius coronam ac gloriam, ſumma cum admiratione reportarunt?* Aut ſi- S. Epiphan. hæreſ. 58.

Digitized by Google

S. Auguſt. lib. 5. cap. 4. contra Iulian.

cut *ſacra* illæ, *virgines* apud Auguſtinum, *quæ tenebant ſanctam profeſſionem, non ſolo habitu veſtis, ſed & mentis & corporis, reſiſtendo concupiſcentiæ carnis, quod hic fieri poteſt; non eâ prorſus carendo, quod hic fieri non poteſt?*

Audis, reſiſti poſſe concupiſcentiæ carnis, ſi animum & arma in eam ſumatis? Pugnandum igitur eſt: nec cominus, & amplexibus, vt Athletæ; ſed eminus, & fugiendo, vt Scythæ. Clamat enim Apoſtolus: *fugite fornicationem.* Non ſic quidam veſtrûm, quos narrat Ambr. Catharinus, *habitando, & dormiendo cum mulieribus*, ſuo tempore periclitatos, an dono continentiæ præditi eſſent. O lepidos periclitatores! Sed Catharinum *mentiri*, illicò reſpondebit tuus vitulus. Sic enim Bolſecum, Cochlæum, Reſcium, Sanderum, Ræmundum, Genebrardum, Surium, & ſexcentos alios Pontificios, vno breui, *Tu mentiris*, refellere ſolet. Nihil ad victoriam poteſt compendioſius. O fungina capita, qui nos tam fungos exiſtimatis, vt non peſſimam conſcientiam veſtram, & quęſita vnde vnde veritatis effugia videamus!

1. Cor. 6.

Ambr. Cathar. Comment. in 1. Cor. 7.

Sed vnde interim oſtenditis, vos non inter Iouinianiſtas, & veteris Eccleſiæ hæreticos? Nónne enim doctrinam & mores veſtros, in Iouiniano graphicè depingit Hieronymus? Nónne *venena perfidiæ, Catholicæ fidei ſociare conamini, dum impugnantes virginitatem, odiſtis pudicitiam, in conuiuio ſecularium contra ſanctorum ieiunia proclamatis*, vt de Vigilantio & Iouiniano, ait Hieronymus? Nónne *continentiam, hæreſim; pudicitiam, libidinis ſeminarium*, cum iiſdem dicitis? Nónne diſcipulus tuus clamat, *Cælibatum ſacerdotum à diabolo eſſe*, cùm tamen S. Auguſtinus, & tota Eccleſia vetus reclamet: *Caſtitatem cælibum meliorem, quàm caſtitatem nuptiarum eſſe?* Nondum cum Patre veſtro Dormitantio euigilatis, & veterũ *hæreticorum ſocietate terremini?* Non tamen. Et Rhetor tuus miram hîc ſecuritatem præferens, & tanquam omnia

S. Hierony. c. 1. aduerſ. Vigilant.

S. Aug. c. 21. de bono coniug.

S. Hierony. c. 3. contra Vigilant.

omnia ei laxa & longè extra anguſtias: *An nulla rima eſt, per quam poſſumus effugere*, inquit, *aut ſaltem expellere Iouinianum? Non quærimus latebras, aut angulos: bene nobis conſcij ſumus*. Quà ergo fugitiue euadis? Nempe, per calcatam S. Hieronymi doctrinam & auctoritatem, laudatam Iouiniani: id eſt, fatendo re verâ vos Iouiniſtas hæreticos, nos Hieronymianos & Catholicos eſſe. Eſtne hoc cauſam veſtram deſperatiſſimam defendere, an prodere? Deſperat. Cauſ. c. 38.

Odio & præconceptâ opinione, inquit, *ſæpe abreptus fuit Hieronymus. Tumebat presbyter, aliàs deuotus, ſenſu & opinione cælibatûs: & quia ſumma cum difficultate, inter ſeueriſſimas afflictiones, carnem vixdum domare poterat, exiſtimabat aliquantulum gloriæ præ coniugatis ſibi deberi. Percipere hoc non poterat Iouinianus, ideo tam acriter & vehementer eum excepit Hieronymus*. Ac deinde: *De cælibatu & virginitate idē ſtatuimus & docemus*, (ſcilicet) *quod Paulus* 1. *Cor*. 7. *& tamen vt hæretici calculo Hieronymi traducimur, quòd à diuina veritate recedere nolimus*. Breuiter: Iouinianus, Orthodoxus, S. Hieronymus hæreticus fuit. Vos ergo illum inter Sanctos veſtros Patres poſthac habetote, nos Hieronymum retinebimus.

Nec eſt, quòd vnius Hieronymi calculo, Iouinianū veſtrum in claſſem hæreticorum redactum putetis; nam Auguſtini & Patrum illius ſeculi & ſequentium acceſſit; & *Romana Eccleſia* (quam tum Orthodoxam fuiſſe fatemini) *auctoritate damnatum*, Hieronymus ſcribit. Et Auguſtinus, *Iouiniana hæreſis*, inquit, *ſacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ coniugali, tantùm valuit in Vrbe Roma, vt nonnullas etiam ſanctimoniales, de quarum pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, deieciſſe in nuptias diceretur*. Quod vos etiam hodie Siluæducis, & alibi in captis à vobis Catholicorum vrbibus facitis, aut conamini. Addit Auguſtinus: *Huic monſtro* (ite nunc cum parente veſtro, monſtroſi filij) *ſancta Eccleſia quæ ibi eſt*, S. Hierony. c. 1. aduerſ. Vigilant. S. Auguſt. lib. 2. c. 22. Retract.

C iij *fideliſſi-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

An. Christi CCCXC.

fideliſſimè ac fortiſſimè reſtitit. A Siricio quippe ſummo Pontifice doctrina eius, tanquam *Chriſtianæ legi contraria*, condemnata, & ipſe extra Eccleſiā eiectus fuerat. Vnde vaniſſima eſt dialectici tui conſequentia. Si, inquit, ideo Iouinianus hæreticus eſt, *eâdem conſequentiâ contra Ruffinum, Ambroſium, & Auguſtinum vtaris licet: quia nec ijs pepercit Hieronymus.* Sed non ignoras, Hieronymum, quamuis calore diſputationis accenſum, nunquam eò erupiſſe, vt Auguſtinum, aut Ambroſium hæreſis condemnaret. De Ruffino, nulla cura nobis. Nam

Gelaſ. cap. Sancta Rom. d. 15.

quia B. Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit, inquit Pont. Gelaſius, *illa ſentimus, quæ prædictum B. Hieronymum ſentire cognoſcimus.* Et vt videas, Iouinianum veſtrum iterum à Gelaſio, & Eccleſia Rom. condemnatum, An. Chriſti CCCCXCII. quando necdum eam in errores deprauatam fuiſſe ipſi fatemini: *Nec ſolùm de Ruffino*, addit Gelaſius, *ſed etiam de vniuerſis, quos vir ſæpius memoratus* (S. Hieronymus) *zelo Dei, & fidei religione reprehendit, illa ſentimus.* Vnde Iouinianum, Heluidium, Vigilantium &c. omnes Maiores, & ſanctos Patres veſtros eâdem damnatione inuoluit. Scripta verò Auguſtini & Ambroſij, *inter opera Sanctorũ Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur*, recenſet. Qua igitur fronte tam infrunitè ſe iactat tuus, quòd *intra quadringenteſimum annum à primis Eccleſiæ incunabulis, ne vnum quidem Epiſcopum inuenturus ſim, qui examuſſim, vel in vno etiam Papali dogmate, formaliter ita dicto, præſenti noſtræ Eccleſiæ faueat?* Ecce enim dogma iſtud, quod in manibus eſt, Papale formaliter, & in Eccleſiam veſtram ſchiſmaticam directè arietat, & noſtræ apertè fauet.

Quod verò de Monachorum & ſacerdotum ficto cælibatu, & profuſis libidinibus, declamator tuus garrit, credo, non tam bliteus & fatuus es, vt ei accredas. *Confidenter dico*, inquit iuuenis confidentiſſimus, *Ne milleſimum quidem ex ijs, qui temerarium caſtitatis votum conci-*

Digitized by Google

concipiunt, caſtum corpus & animum ſeruare. Credite Vltraiectini & Dauentrienſes huic veſtro prophetæ. Non credidi audaciam, quamuis iuuenilem & ſtultam, eò impudentiæ & temeritatis potuiſſe proſilire. Quid enim magis temerarium & impudentius iſto verberone? Confidentiſſimè enim aſſerit rem ſibi arcanam & ignoratiſſimam: Ne milleſimam quidem partem ſacerdotum, Monachorum, Monialium votam Deo caſtitatem ſeruare; quod tot hodie, laus Deo, millenorum teſtium conſcientijs, apertiſſimè confutari poteſt. Ita perditi ſycophantæ, modò laqueos quibus conſtricti tenentur, vtcumque eludant, & apud paucos ignaros quos decipiunt, excuſſiſſe videantur, conſcientiarum noſtrarum ſecuri, quid eblaterent, nihil omnino penſi habent.

Sed neque credit (aut ſimulat) veteres Anachoretas, Monachos, Sanctimoniales, Clericos pudicitiam, quam habitu & modeſtiâ præferebant, in occulto coluiſſe: vt præter Epiphanium & Auguſtinum quos paulò antè audiuimus, egregiè mentiti ſint Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus (& SS. Patrum quis non?) dum in cœlum & Angelos, Monachorum & ſacrarum Virginum ſui æui caſtimoniam efferunt. Et audi iam raptim vnum ſaltem Hieronymum, aduerſus Vigilantium, inter maiores quoque veſtros inclytum, & in quo *Iouinianum, vt in Pythagora Euphorbum, renatum eſſe* dicit Hieronymus. *Tu ructato,* inquit, *cum ſeculi hominibus, ego ieiunabo cum feminis; imò cum religioſis viris, qui pudicitiam vultu præferunt, & pallida iugi continentiâ* (audis *continentiam,* & quidem, *iugem?*) *ora portantes, Chriſti oſtendunt verecundiam.* Verbum etiam vnum à Chryſoſtomo, vt Eccleſiæ tuæ deformis à veteri illâ & formoſâ immane diſcrimen videas. *Videtis,* inquit, *quanta ſit aduentûs Chriſti potentia? Quomodo maledictum ſoluerit? Etenim plures iam ſunt virgines, quàm coniugatæ.*

S. Hierony. cap. 4. contra Vigilant.

Chryſ. Epheſ. 4. ſerm. 3. in Exhort. moral.

Vbi

Vbi vola iam, vbi vmbra antiqui illius & caſti Spiritûs in carneo veſtro grege; cuius omnis ſpiritus ſic in carnem delapſus, vt nemo perfectam continentiam colat, imò, vobis verbo & exemplo præeuntibus, nemo ferè non impoſſibilem credat?

Fatemur tamen de noſtris: Quòd veluti è magnis gregibus quædam oues facilè ſeducuntur, & deuorantur interdum à lupis; ita in vtroque ſexu quidam, etiam à temporibus Apoſtolorum, *primam fidem*, Deo datam, *irritam fecerunt*, & abdicato caſtorum Fratrum grege, ſeculi voluptatibus ſe reddiderunt. (1. Tim. 5.)

Verè enim Auguſtinus: *Chariſſimi, ſunt & qui Monachi falſi ſunt. Et nos nouimus tales. Sed non periji Fraternitas pia (* audiſne *) propter eos, qui profitentur quod non ſunt. Tam ſunt enim Monachi falſi, quàm & Clerici falſi, & fideles falſi.* (S. Auguſt. Pſal. 132.)

Talis Patriarcha veſter Iouinianus, *formoſus, nitidus, craſſus Monachus*, ait S. Hieronymus: & Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Frontinus, Martianus, Ianuarius, Ingenioſus eius ſocij: *homines vaniloqui, è noua Schola Epicureorum, qui fuerunt nobiſcum, ſed non fuerunt ex nobis*, aiebat S. Ambroſius. (S. Ambroſ. lib. 3. Epiſt. 25.) Aduerſus iſtos, & ſimiles omni æuo ſtylum & linguam ſtrinxerunt SS. Patres, & hodie non deſinimus. Talium verò ſordes, ex omnium ſeculorum Scriptoribus, ſtultiſſimâ diligentiâ in vnum conuerrit declamator tuus, vt Monachos & Clerum eodem luto hodie reſpergat; iurare paratus, quidquid nequitiæ & ſpurcitiarum, omnibus retrò ætatibus, in apoſtatis Monachis & Sacerdotibus hæſit, in hoc noſtrum ſeculum defluxiſſe. Omnes enim ei à caluo ad caluum, ſunt *Idololatræ, hæretici, Apoſtatici, apotactici, diaboli incarnati, ſimoniaci, periuri, ignorantes, adulteri, concubinarij, otioſi, mundani, carnales, percuſſores, aleatores, ebrioſi, porci, aſini Arcadici.* (Deſperat. Cauſ. c. 5.) Id eſt, fuſtuario ſexcentorũ ictuum digniſſimus ipſe flagrio; qui de hominibus ignotis ſic loquitur; cùm anguſto hæreticæ ſuæ Prouinciæ gyro

nunquam

nunquam credo, pedem, ad mores eorum noſcitandos, extulerit: qui caſtiſſimas & ſanctiſſimas animas, diu noctuque Dei laudes (dum ipſe ſub lodice ſua putreſcit & ſuam accubat) cantantes, tam inuerecundè & ſcurriliter traducit. Olim, fateor, ante & circum tempora Lutheri, (vnde plurima exempla à Scriptoribus deplorantibus collegit) licentia multorum Monaſteriorum diſciplinam laxauerat; ideoque tam multos paratos ad erumpendum Lutherana hæreſis inuenit. Sed hodie, Deo laus, alia Eccleſiæ facies. Caſtitas & pietas Monaſterijs & Clero rediјt. Pauciſſimos veterum flagitiorum ſuſpectos, nullos pænè compertos Belgium noſtrum nouit. Venite & videte: pudebit vos calumniarum, & frons rubore ardebit, ſi habetis.

Sed, *ſi otioſi Clerici & Monachi, qui bellarijs ac vino ſe onerant, caſtitatem ſeruent, prodigium, imò miraculum eſt*, reponit hyperaſpiſtes tuus.

Atenim, quid ſi non otientur, ſed diabolum & carnem ſuam honeſtis mentis aut corporis functionibus fallant, quod plerique faciunt? Quid ſi (Belgicè & familiariter tecum agam) in bellarijs, nihil niſi caſeus Flander, aut Hollandicus, nec vnctus butyro; quod vobis butyraceis Hollandis maxima eſſet mortificatio? Atqui plurimorum Monachorum & Clericorum quotidiana hæc apud nos eſſe bellaria, tibi ſanctè aſſeuerare poſſum. Veni, inuito te & diſcipulum tuum ad prandium, vt delicias noſtras videas & vrticas Veneris quibus nos ſic prurire, & in omnem petulantiam diſſilire creditis, aut credere fingitis. De vino: plurimi agant tibi magnas gratias, ſi velles ipſis propinare. Cereuiſiâ enim, nec eâ pinguiſſimâ, oportet contentos eſſe; licet ſenium, aut infirmitas ſtomachi, ſtudijs & meditationibus contracta, hauſtulum generoſi vini videatur ſubinde flagitare.

Sunt tamen quidam, non diffiteor, qui frequentiùs, ſunt etiam qui quotidie vinum bibunt: ſed quomodo S. Bernardus bibendum ſuadet ſorori. *Vinum nobis*, inquit, *Deus ad lætitiam cordis dedit, non ad ebrietatem donauit. Igitur honeſta virgo, bibamus, non quantum gula quærit, ſed quantum neceſſitas requirit.* Ac deinde: *Bibe vinum cum ſobrietate, & auferet à te pigritiam atque deſidiam, & in Dei ſeruitio faciet ſollicitam & deuotam.* Non enim Apoſtolus ait, *Nolite bibere vinum*, qui *modicum* Timotheo ſuo ſuadet; ſed, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.*

S. Bernard. aut quiſquis pius Auctor lib. de modo bene viuendi.

Ephеſ. 5.

Si verò interdum quidam, amicorum blanditijs an aliâ causâ euocati, largiùs ſe inuitent: ne tamen in libidinem deſpumet, ſtudijs & honeſtis meditationibus plerumque decoquitur. Plurimis enim exemplis expertum eſt, vini potentiam ſtudijs ac animi intentionibus caſtrari, ſpiritus libidinis miniſtros à parte inferiori ſurſum in arcẽ mentis vi imaginationis auerti, vbi in caſtas & vtiles cogitationes conſumuntur. Deinde metus iſte madendi vltra ſiccę ſobrietatis terminos, in ſexum femineum non cadit. Putaſne enim etiam Moniales noſtras merobibulas, & vino quotidie uenas inflare? Fleres pœnè, ſi pallidas & ſine ſanguine, ab aquâ aut cereuiſiolâ tenui videres. Cur igitur ſaltem ſiccis virginibus veſtris continentiam (quod fortè poſſunt) & manere perpetuò iniuges non ſuadetis? Niſi tamen ſic fortaſſe, non ſatis vxorum pro vobis reperiri poſſe metuatis.

Denique non diſſimulamus, è Clero, aut Monachorum cœtu aliquos extra temperantiæ metas quandoque longiùs effluere. Sed nimij miriones & moriones eſtis, ſi iſthæc admiremini. Omnibus enim temporibus, non tantùm SS. Patrum, ſed etiam Apoſtolicis, tales madiduli & ebrioſuli in Eccleſia fuêre, quod plurimis teſtimonijs promptiſſimum eſſet tibi demonſtrare. Sed *ſi primis temporibus non obfuerunt mali ſacerdotes*, inquit Auguſtinus,

Digitized by Google

guſtinus, *vel collegis bonis, ſicut fuit Zacharias, vel populari-bus, ſicut fuit Nathanaël, in quo dolus non erat: quanto magis nihil obeſt in vnitate Chriſtiana Epiſcopus malus vel Coëpiſcopis vel Laicis bonis, cùm iam ille ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, & Pontifex noſter ſedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram?* S. Auguſt. lib. 2. c. 5. contra Parmen.

Vnde ebrietates ac vitia ſacerdotum, nullo, aut modico hæreticorum circumlatrantium reſpectu, liberè increpabant SS. Patres; nec Hieronymus valde curauit Ruffinum, cùm diceret ipſum, *concidiſſe virgines, continentes, diaconos, presbyteros, & omnem prorſus Chriſtianorum gradum & ordinem libellis editis infamaſſe.* Ruffin. Blenni enim & bardi ſunt, qui non intelligunt, quod ſæpe aduerſus Donatiſtas clamat Auguſtinus: In eadem Eccleſiæ area, paleas ſemper tritico permixtas eſſe, donec veniat *cuius ventilabrum in manu eius, & purget aream ſuam, congreget triticum in horreum, & paleas comburat igni inextinguibili.* Luc. 3.

Rideant ergo, aut ringantur reprobi & hæretici; electis, tam puris quàm maculoſis expedit flagitiorũ maculas, ad horrorem & emendationem quandoque nudari. Mirum etiam, quomodo vos Hollandi, Belgarum hodie Sybaritæ, qui & luxu veſtium, & luxuriâ menſarum totam pænè Orbem prouocatis, Clericorũ Monachorumque miſeras delicias maligniſſimo iſto dente carpere audeatis. Quidquid enim in Mundo, terrâ marique eximium & ad luxum valens, claſſibus conquiſitum, in angulum illum veſtrum Orbis terræ conuehitis. Muſtaceis & cerebro Iouis pleni, ructantes glandem, credo, irridere vultis.

Ad hæc, Clerici Monachique horulâ vnâ, & ſæpe dimidiatâ, prandiolo ſuo & cænulâ defunguntur; mox ad Dei laudes, & poſt modicam animi remiſſionem, ad ſtudia ſua, aut honeſtas alias functiones plerique om-

Digitized by Google

nes reuertuntur. Vbi multi inter veſtros, totos ſæpe pomeridianos dies, inter ferculorum ſtrues, vt ab ipſis etiam accepimus, deſident; partemque denique noctium ſat profundam comeſſationibns decerpunt: nec Domini Miniſtri, opinor, quando inuitantur, abhorrent.

Si denique in ceteram vitam veſtram tam curioſi & Lyncei, quàm vos in Monachorum, eſſe vellemus, plurimas maculas, præter infames illas, quas Criſis noſtra in Patriarchis veſtris notauit, in vobis deprehenderemus. Nam hæretici non tantùm *mentium faciunt voluntates, aſſerendo dogmata contraria veritati*, ſed etiam *voluntates carnis: plura quippe apud eos corporis ſunt vitia, quàm apud noſtros*, inquit S. Hieronymus. Nam etſi libidinis partẽ vxorijs amplexibus conſumatis; quia tamẽ *pudicitiâ coniugalem belligerare etiam oportet contra carnalem concupiſcentiam*, & gratiâ Dei deſtituti, languidè repugnatis; adulteria & aliæ fœditates inueniuntur in vobis. Ad hæc, cetera illa opera carnis, quæ Apoſtolus, præter *fornicationes & impudicitias, ebrietates & comeſſationes*, enumerat: *inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, diſſenſiones, ſectas, inuidias*, regnare inter vos, quis neſcit? Et vt Miniſtrorum tuorum ἐν τύπῳ ideam, & inter nos & Catholicos ſacerdotes diſcrimen videas, à Philopatro illam ſumemus, qui de re palàm in Anglia notâ, & quam fatuus tuus diſcipulus per ſolemne ſuum, *Mentiris*, reijcere non poſſit: *Cum tot annorum ſpatio*, inquit, *tot inter vos adoleſcentes noſtri ex Seminarijs Anglicanis Rhemenſi, Romano, Valleſoletano egreſſi, diſſimulato habitu verſati fuerint, quos omni vos opprobrio conſpurcatos cuperetis; nemo tamen eorum (ne vnus quidem) hactenus ſceleris alicuius, aut vitæ labis apud veſtros Iudices poſtulatus eſt, aut accuſatus; præterquàm læſæ cuiuſdam Maieſtatis, & proditionum imaginariarum, quæ non tam facta ſua, quàm figmenta ſunt veſtra. Cùm interea Miniſtri Euangelici vbique fere de flagitijs conuicti*,

S. Hierony. Epheſ. 2.

S. Auguſt. lib. 5. c. 21. contra Iul.

Galat. 5.

Andr. Philopat. Reſponſ. ad Edict. Elizab.

nicti, ad omnia promiſcuè Tribunalia veſtra turpiſſimè condemnati, & patibulis quoque ſæpiſſimè adiudicati, cernantur. Quod argumento certè vobis eſſe poſſit, ſi rationem ſequeremini, inſtitutionem noſtram efficaciorem multò eſſe, quàm veſtram, ad omnem virtutem & vitæ puritatem.

Et de vobis Hollandis, quidam nuper, quē nominare poſſim, Vir inter vos Ampl. admirans etiam Illuſtres apud nos adoleſcentes, Clericorum, aut Monachorum inſtitutū dignari ſuſcipere: *Miniſtri enim noſtri*, addebat, *è fæce plerumq; plebis & viliſſimi ſunt: vt nemo paulò honeſtior filiam ſuam nuptui cuiquam eorum dare ſuſtineret. Deinde, quidquid aliud externâ modeſtiâ & compoſitione veſtis præferunt, intus auaritiâ & prauis cupiditatibus pleniſſimi ſunt, & nebulones qui omnia diuina humanaque ad lucrum referunt.* Hæc ab Ampliſſimo Viro, Principum Conſiliario, cui iſta narrabantur, accepi. Scripta ipſe mea leget, & mortem malim, quàm mendacij apud eum infamiam ſubire.

Has verò & alias turpitudines veſtras premeremus, niſi mendacia & malignitas veſtra in Clerum & Monachos, centuplo vobis meliores, ſilentium noſtrum euocaret.

CAPVT V.

Caluiniſtæ, fatentibus ipſis, hæretici Aërij, contra SS. Patres & veterem Eccleſiam, ſectatores ſunt.

AErianos quoque hæreticos, Quadrageſimæ & ieiuniorum Eccleſiaſticorum contemptu, vos dixi. Nec diffitetur Caluinus, liberans ab errore Aërium, accuſans SS. Patres *ſuperſtitioſæ Quadrageſimalis obſeruationis*: cùm tamen *per Orbem terrarum quotannis omni* Caluin. lib. 4 c. 12. Inſtit.

 cum

Digitized by Google

cum ſtudio, celebrari in conuentu Catholico, teſtetur Augu-
S. Auguſt. lib. 30. c. 3. contra Fauſt. Epiſt. 119.
ſtinus. Et alibi: *Quadrageſima ſanè ieiuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris, ex ieiunio Moyſis & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonſtrans Euangelium non diſſentire à Lege & Prophetis.* Quòd autem diſcipulus tuus negat, eſſe ab Apoſtolis, mentitur, ſi S. Hieronymo, & tot alijs SS. Patribus credimus:
S. Hierony. Epiſt. ad Marcell.
Nos enim, inquit ille, *vnam Quadrageſimam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus.* Si ergo in tempora SS. Patrum incidiſſetis, extra Eccleſiam Catholicam eiecti cum ſancto veſtro Patre Aërio & Aërianis fuiſſetis.

Alterum quoque errorem cumulat defenſor tuus: *Quid peccamus tantopere*, inquit, *ſi nolimus eſſe ſerui hominum?* Quid enim ſibi vult? Nullius legis humanæ vinculis poſſe, aut velle teneri? Præpoſitis & Eccleſiæ nunquam obediendum? Seruum hominum ſe fore, niſi Magiſtratus veſtros contemnat, & vt iuuenculus indomitus, extra legum omniũ humanarum ſepta vagetur liber & effrenis?

Sed ſuperſtionum laquei liberis ceruicibus, inquit, inijciuntur præcepto Quadrageſimali. O ſancti, & ſuperſtitionum verentes, vbi concupiſcentiæ carnali, & ſaliuæ veſtræ nõ ſatis ſuauiter præcipitur! Quæ enim
S. Hierony. Matth. 9.
hic ſuperſtitionis vola, quæ ſpecies? *Eccleſiæ conſuetudo, ad Paſſionem Domini, & Reſurrectionem per humilitatem carnis venit*, inquit S. Hieronymus: *vt ſpirituali ſaginâ, ieiunio corporis præparemur.* Credo, ſi corporali ſaginâ præparatio adornanda eſſet, & Bacchanalia vſque ad Paſcha extenderemus, ſine ſcrupulo ſuperſtitionis, nobiſcum ſtrenuè colluderetis.

Sed & Aërium quoque veſtrum, in neglectu curæ mortuorum, imitamini. Negabat enim ille, contra doctrinam & praxin Eccleſiæ veteris, orandum pro mortuis. Vos idem facitis; tam euidenter, vt Caluinus omnia

Digitized by Google

omnia circumſpiciẽs, aliter dedecus hoc effugere poſſe deſperauerit, quàm per alterũ dedecus, quo SS. Patres & Eccleſiam veterem, *in errorem abreptos fuiſſe*, palàm dicere non erubuit. Et Rhetor tuus: *Aërium inter hæreticos referunt Epiphanius, & qui cum ſecutus eſt, Auguſtinus. Quid tum verò? Iniquiſſimum eſt, aliquem ad arbitrium duorum Doctorum, hæreſeos crimine grauare.* Sed, an illi duo tantùm? Imò vniuerſa tunc Eccleſia Catholica, cuius ſenſum, in libro de Cura pro mortuis, explicat Auguſtinus. Nã, vt apud eum ait Paulinus, *vniuerſa pro defunctis Eccleſia ſupplicare conſueuit.* Nec Auguſtinus aut Epiphanius tam temerarij, vt ex priuatâ opinione, non publico Eccleſiæ conſenſu, quemquam compingant in Catalogum hæreticorum. Vnde Auguſtinus alibi, tanquam de re minimè ambiguâ: *Oblationes*, inquit, *pro ſpiritibus dormientium verè aliquid adiuuare, credendum eſt.* Vos non creditis, ideoque cum damnato Aërio hæretici eſtis.

Caluin. lib 3. cap. 5. Inſtit.

S. Aug c. 1. de Cura pro mort.

S. Auguſt. Epiſt. 64.

Sanctam quoque Monicam, aduerſus Caluini calumnias & irriſionem defenderam. Rogauerat illa moriens filium Auguſtinum, vt *ad altare Domini, meminiſſet ſui* poſt funus; quod Caluinus, tanquam *anile votum*, irridet, diſcipulus tuus etiam *deliria* vocat. Ita homines cordatiſſimi, qui Antiquarios & Patriſtas vbique ſe iactant, vbi collibitum, & Patres & Matres vno facillimo verbo, *Errat, Fallitur, Anus eſt, Delirat* &c. refellere ſolent.

Tu paulò modeſtiùs, *Defunctorum commendationem & curam aliquam*, olim fuiſſe dixeras; *ſed liberationem*, addebas, *eorum ex Purgatorio per Indulgentiarum, Miſſarum pro defunctis, & totam ſuffragiorum nundinationem, ne ipſum quidem nouerat Romanum forum.* Repoſui tunc, quod nequedum muto. Aſtutè additas à te *ſuffragiorum nundinationes*; verùm non quæri, an ſordes nundinationum, ſed an ſuffragia & orationes viuorum prodeſſent defunctis.

Voet. lib. 3. ſect. 1. c. 6. Cauſæ deſper.

ctis. *S. Auguſtinus, & Epiphanius, & prima illa Eccleſia ſecula,* addendam, *nobiſcum affirmant, vos negatis; & tamen ſecula iſta à vobis ſtetiſſe, nullo, niſi quia pertinacia veſtra ſic lubet, argumento euincere vultis:* aliaque dixi, ad quæ vitulus tuus legenda Lectorem inuitat. *Lege quaſo Lector ipſe,* inquit, *ſi tanti ea putes: & excludo oculum, ſi non iuraturus ſis, te nunquam ineptiorem nugatorem vidiſſe.*

Crit. c. 36.

Facito, mi Lector, vt oculum ſibi excludat, & Schola Dauentrienſis coclitem poſthac Profeſſorem habeat. Quæ enim Criſis mea diſputauit & tunc placebant, nunc etiam blandiuntur, nec vnquam, ſcio, ſcripti eius pœnitentiam agam. Scire iam tamen, mi Voeti, à te velim, quod quærere tunc exciderat: Quam *commemorationem & curam defunctorum*, illis Patrum ſeculis, fuiſſe cenſeas? Sine dubio, vt viuorum ſupplicationibus *adiuuari* poſſint; quod ſæpe repetit Auguſtinus. Vnde apertè conſectaneum, vt tales nec æternâ damnatione, nec cœlo adhuc potiantur. Vbi ergo tantiſper diuertunt? In Auerno, an Charoniâ Foſsâ, Acheronte, an Elyſijs Campis? Aut certè vrbanius vocabulum ex ſuis fabulis quærat Poëta tuus Dauentrienſis, nos ruſticè Purgatorium vocamus.

Ceteras à Ianſenio tibi obiectas hæreſes pari felicitate declinat hyperaſpiſtes tuus, id eſt, in medias ſe teque induit.

Obiecerat enim ille, vos cum veteri hæretico Vigilantio, Sanctorum reliquias deteſtari. Quid ad hoc ille? *Falſiſſimum eſt,* inquit, *quòd deteſtemur reliquias Sanctorum. Merito ac debito honore eorum oſſa ac corpora afficimus: hoc eſt* (ne putetur factus Papiſta, & velle venerari) *in terra ſepelimus*, ait, *aut ſicubi effoſſa reperiantur, defodimus, ac debito loco recondimus.* Magnum beneficiũ! Quod etiam multis furibus & ſuſpendioſis præſtare ſolemus. Non agitur (& ſcitis, & pueriliter, aut nequiter diſſimulatis) de ciuili iſto, ſed religioſo honore. Nónne autem

autem cum Vigilantio negatis, *Martyrum ſepulcra veneranda?* Nónne iterum cum ipſo, *Malè facere Epiſcopum Romanũ* dicitis, *qui ſuper Petri & Pauli oſſa veneranda, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria?* Nónne adridetis ipſi, & *ſacrilegum fuiſſe Conſtantinum Imp.* dicitis, *qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quos dæmones rugiebant, & inhabitatores Vigilantij,* veſtrique, *illorum ſe ſentire præſentiam confitebantur?* Nónne vt Vigilantianos vos palàm fateamini, diſcipulus ille tuus audet conqueri, quòd *Vigilantio inſignem iniuriam faciant Papani rabulæ?* Nónne hoc eſt, S. Hieronymo & toti Eccleſiæ veteri ſimile crimen, & iniuriam in Vigilantium impingere? Nihil enim atrocius in eum dicimus, quàm quod nobis illi præiuêre. Et tamen incredibili vecordiâ audet tuus S. Hieronymum, tanquam aduerſus nos ſtantem, partibus veſtris adiungere. Nempe, quia Vigilantium inclamans Hieronymus, *Quis, ô inſanum caput*, inquit, *aliquando Martyres adorauit? Quis hominem putauit Deum?* S. Hieron. contra Vigilant.

Vbi apertiſſimè loquitur de adoratione illa propriâ, & reſtrictâ ad latriam, quâ ſeruitur Deo vt creatori. Vnde alibi ad Riparium: *Non adoramus, ne ſeruiamus creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Honoramus autem*, addit, *reliquias Martyrum, vt eum, cuius ſunt Martyres, adoremus.* Honorate ergo vos quoque, & nolite adorare, cum Hieronymo & nobiſcum eritis Orthodoxi.

Sed non facitis, ſcio; & quidquid hypocriſis veſtra ſe inuoluat & ſimulet, eas re verâ deteſtamini. Aut valdè à mente & moribus patrum veſtrorum nuper mutaſtis, qui in Gallia, Anglia, Germania, Belgio, tam ſonante ſtrepitu & oſſifragio reliquias Sanctorum perdiderunt.

Similibus prorſus ſophiſticis argutiolis tuus ille credit (etſi clariſſimè deprehenſus) ex ceterarum hæreſiũ

laqueis ſe euoluere. Cum pueris, credo, aut talpis (quales nos aquilinus homo tam ſæpe vocat) rem ſibi credidit eſſe. Sed, non obtuſa adeo geſtamus lumina Teucri. Puerilia veſtra ſophiſmata & telæ aranearum nimis iam pellucent. Aliquid denſius & inculcatius, hoc ſeculo, aut tacere, oportet. Veriſſimum, quod de patriarcha veſtro Luthero Eraſmus: *Non tu ſophiſticam Theologiam ſuſtuliſti, ſed mutaſti.* Maſculam nempe illam, vt ſic dicam, & ſubtilem in puerilem & obtuſam tranſtuliſtis. Qua etiam arte, tres illas & triginta Quæſtiones tibi à Ianſenio olim propoſitas aggreſſus egregius Ludi Dauentrienſis Magiſter, apud omnes, qui tantillum naſi habent, ridiculum ſe & ludum fecit. Vbique enim & vndique illaqueatus, ne ex vnâ quidem elabi potuit. Clamores quidem ſpargit, fumum vt Cacus, flammas & iniurias vomit: ſed omnes attenti, clariſſimè vident rictus, ſpumas, & iras phreneticorum eſſe, inſpuentium in eos, qui vincula iniecerunt, quæ nequeunt diſſoluere. Vnam enim aut alteram in ſpecimen, leui & volante ad alia calamo retractemus.

Eraſ. in hyperaſp.

CAPVT VI.

Ne vnam quidem ex tribus & triginta Ianſenij Quæſtionibus, à Dauentrienſi Ludimagiſtro diſſolui potuiſſe.

Reuerendiſſimus μακαρίτης Ianſenius, Cap. VIII. Spongiæ, tres & triginta Quæſtiones in oculos tibi iniecerat, vt earum contemplatione, ab errore reduceret, quo, ſpretis traditionum adminiculis, dicitis omnia creditu neceſſaria ſanctis Scripturis contineri.

Detrectato onere reſpondendi, quo, ſine dubio, opprimebaris, ſapienter in fatuum diſcipulum declinaſti

ſarcinam,

ſarcinam, vt ſaltando, vitulando, currendo, recurrendo extra materiæ & rationis orbitas, ſuccutiendo ſaltem laxaret, quam non poſſet excutere.

Pugnam autem orditur, vt ventoſi & ignaui milites, à contemptu hoſtis. Clamat, *Ianſenium has Quæſtiones ex luto & ſtipulis efformaſſe: & vt vt argutæ & ſubtiles idiotis videantur, indignas eſſe homine Chriſtiano, nedum Doctore Theol. & Leerdamenſi Ianſenio, iam Epiſcopo Iprenſi.* Bene habet. Terretur, & Gorgona vidit. In prima etiam & capitali Quæſtione, vox faucibus hæſit. *Age, mi Voeti,* tibi inquierat Ianſenius, *qui tantopere Scripturas crepas: arripe ſtylum, profer theſauros abſconditos eruditionis tuæ, & ex ſolis Scripturis aſſere nobis capitalem iſtum Articulum, quẽ mihi ſine probatione obtruſum cupis*: Nihil diuina fide credendum, niſi quod in ſacris litteris comprehenditur. *Si enim iſte non comprehenditur, quo iure fidem noſtram ex ſolis Scripturis probari cupis?* Ianſen. cap. 8. Spong.

Quid ad hæc crepitaculum tuum Dodonęum? Oracula ceſſant. Quid? Nónne *Articulum iſtum, capitalem* dixerat aduerſarius, vnde ceterorum cathena religaretur? Ita: ſed quid vis fieri. Nec nouæ, nec veteres Bibliorum Concordantię quidquam ad hunc nodum ſoluendum ſuggerere potuerunt.

Pergamus igitur ad ſequentem. *Ex qua Scriptura probas,* dixerat Ianſenius, *erraſſe in fide Marcionem, qui, teſte Epiphanio, Epiſtolas ad Hebræos, ad Titũ, & vtramque ad Timotheum deleuit ex Canone?* Verùm, ne tua Hollandica rana, tanquam in Seriphum delata, iterum hîc obmuteſceret, alteram Quæſtionem ei copulat (*Ex qua Scriptura euincas,* dixerat quoque poſtea Ianſenius, *omnes Epiſtolas Pauli, vt diuinas eſſe recipiendas, aduerſus Ebionæos, qui etiam tanquã apoſtatam legis recuſabant?*) vt Lectorem Batauum confunderet, & ad poſteriorem aliquid reſponſitans, videretur priorem quoque non ſubterhabuiſſe.

Quid igitur hîc inuenit Chryſippi tui acumen? *Aliquas Epiſtolas Pauli*, inſit, *eſſe vt Canonicas recipiendas, probatur ex Epiſtola Canonica & indubitata auctoritatis*, 2. *Pet.* 3. Sicut charus frater noſter Paulus &c. qui in omnibus ferè Epiſtolis loquitur de iſtis. *Ex Scriptura ergo contra Ebionæos conſtat*, inquit, *quoſdam Epiſtolas Pauli, vt Canonicas eſſe recipiendas.* Sed non quæſiuit Ianſenius, de *quibuſdam* tantùm, ſed de *omnibus* Pauli Epiſtolis. Dic ergo Dialecticè reformate, an ſequatur: S. Petrus meminit indefinitè quarundam Epiſtolarum S. Pauli; ergo dicit, omnes Epiſtolas, quæ tanquam ſcriptæ à S. Paulo circumferuntur, vt diuinas eſſe recipiendas? Nempe ſicut iſtud: Boues ſunt cornuti; ergo omne animal cornua habet. Quid deinde pro priori Quæſtione aduerſus Marcionē inferes? An hocce fortaſſe: Paulus quaſdam Epiſtolas, teſte Petro, ſcripſit; ergo Epiſtola ad Titum, aut Timotheum, eſt ipſius? Dic eâdem dialecticâ: Aliquod animal volat; ergo vituli in Hollandia habent alas.

2. Pet. 3.

Vidit autem hoc tam inſubidum & inconſequens, argumentator tuus; ideoque, *Sed dicet*, inquit, *etiamſi Petrus teſtetur in genere, quaſdam Epiſtolas Pauli eſſe Canonicas; tamen hanc, aut illam Canonicam eſſe, ex traditione eſt.* Quidni hoc Ianſenius dicat, quod omnis Theologus debet, qui cerebri micam habet? Quid tamen ipſe? *Nihil minus*, inquit. *Alia ſunt* κριτήρια. *De quibus videri poteſt Euſebius lib.* 3. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 21. *Quo loco diſputans de auctoritate Epiſtolæ primæ Ioannis, quatuor hæc adfert:* 1. *Phraſin.* 2. γνώμην. 3. Προαίρεσιν: *& quarto demum loco, Eccleſia iudicium, quæ eſt cuſtos librorum Canonicorum.*

Neſcio quid primum hîc debeam admirari: ſtuporem, an malitiam hominis. Adeóne enim fungus & ſtipes fuit, vt nos Euſebium non adituros ſperauerit? Fortaſſe, quia *hominem paucorum librorum* alicubi me vocat magnus & lepidus Bibliothecarius, putauit nec librum

librum illum penes me eſſe, & tam neglectim res iſtas tractare, vt operam non ſumerem petendi ab eo qui habet. Quid enim dicit pro eo Euſebius? Cap.21.citato, ne γρὺ quidem; ſed Cap. 19. (quod citare voluit) contra eum apertè. Cùm enim recenſuiſſet Scripturas noui Teſtam. quæ κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν, *ſecundum Eccleſiaſticam traditionem vera, germana, & omnium ſententijs manifeſtè confirmata ſunt*; addit, ex iſto Catalogo facile iam eſſe, diſcernere Scripturas dubias, ac eas deinde, *Quæ Apoſtolorum nomine ab hæreticis circumferuntur: ſiue Euangelia Petri, Thomæ, Matthiæ, aliorúmve nomine falsò inſcripta: Acta, quæ Andreæ, Ioannis, & aliorum Apoſtolorum nomine veteratoriè donata ſunt. Quas quidem Scripturas*, inquit, *nemo ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui continuata temporum ſucceſſione, ab Apoſtolis huc vſque vixerunt, vſquam in ſuis ſcriptis in memoriam redigere dignatus eſt. Quin etiam* (hæc ſunt verba, quæ Agyrtes & impoſtor tuus ad ſe rapuit) *Phraſis & loquendi formula longè à ſtylo & dicendi conſuetudine Apoſtolorum diſcrepat.* Γνώμη *porrò, ſiue Sententia, &* Προαίρεσις, *ſiue Inſtitutum eorum, quæ in libris illis traduntur (quod toto propè cælo, vt dicitur, à vero Orthodoxoque Scripturæ ſenſu & opinione aberrat) planè perſpicuéque oſtendit, ea callida ſolùm hæreticorum eſſe commenta.* Quid tibi iam, bonâ & Belgicâ fide, videtur, mi Voeti? Nónne diſcipulum tuum, inſignem Sycophantam & impoſtorem eſſe? Nónne enim malitioſè & veteratoriè Lectorem deludit, cum pro ſolutione Quæſtionis, quâ ſe explicare non poterat, eum ad Euſebium mittit, quaſi ibi reperturum, quod vincula eius relaxet? Nónne intra breuiſſimum periodi vnius gyrum craſſiſſima aliquot mendacia compingit? Euſeb. lib. 3. c. 19. Hiſtor.

Ait enim in primis, Euſebium ibi, *diſputare de auctoritate Epiſtolæ primæ Ioannis.* Mendacium apertum eſt: nam Epiſtolam illam primam, ſine diſputatione, in Catalogo Scripturarum ponit, quæ *omnium conſenſu ſunt conſtabilita.*

Ait deinde tuus, *κριτήρια* quibus diiudicantur & diſcernuntur veræ Scripturæ à falſis, ab Euſebio ſtatui, *Phraſin*, *γνωμὴν*, *προαίρεσιν*, *& quarto* demum *loco*, *Eccleſiæ iudicium*. Pingue alterum, & manifeſtum mendacium. Nam, qui Libri Canonici, qui non, ex *traditione Eccleſiaſticâ*, & ſententiâ maiorum, primo loco, & vnicè diiudicat, vt iam vidimus: & hoc argumento (quia nempe, à *Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui ab Apoſtolis huc vſque vixerunt*, neglecta ſunt) *Euangelia Petri*, *Thomæ* &c. tanquam fabulas reijcit. Addit verò etiam ex *Phraſi* (diſſimili, & abludente à Scripturæ ſacrę & Apoſtolica ſimplicitate;) deinde ex *Sententiâ* & materiâ illorum Euangeliorum, ac denique ex *Inſtituto* & propoſito Auctorum, fraudem pateſcere: imò, quia *toto cælo* Pſeudo-Euangelia illa *à vero Orthodoxoq; Scripturarũ ſenſu aberrant*, *perſpicuè callida hæreticorum commenta tantùm eſſe*. Falſiſſimum verò eſt, affirmaſſe Euſebium, ex *Phraſi*, aut *Sententiâ* Libri, vel ex *Inſtituto* Auctoris, de ſacrâ & Canonicâ eius auctoritate iudicium poſſe fieri. Nam ſicut hominum, ita Librorum ſunt ſimiæ, quæ mirâ hypocriſi Phraſim, Sententias, ceteramque indolem, nullo aut minimo veri diſcerniculo, valeant imitari. Non ſoluit ergo Euſebius Ianſenij Quæſtionem pro tuo diſcipulo, ſed eam magis nectit, ſentitque palàm nobiſcum, ſacrorum voluminum à profanis, aut apocryphis diſcrimen & notitiam, non aliâ viâ certâ & infallibili, quàm per *ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν*, *Eccleſiæ traditionem*, ad nos manare.

Et ſanè omnes veſtri conatus, aſſerendi Scripturæ vnius auctoritatem ex alterius teſtimonio, vt Pauli ex Petro, vno hôc argumento eliduntur: Quòd non ſit maior, aut euidentior auctoritas Scripturæ teſtantis, quàm eius cui perhibetur teſtimonium. Petrus ergo centies teſtetur, ſcriptas quaſdam Epiſtolas á chariſſi-
2. Pet. 3. mo fratre ſuo Paulo; vnde tibi conſtat, Petrum eſſe, qui

qui in Epiſtola illa de Paulo loquitur? Quid ſi enim alius quiſpiam Epiſtolæ ſuæ, ad famam & auctoritatem, præfixerit S. Petri nomen? Deinde, ſi inuenire poſſes aliam Scripturam, quæ teſtetur, eſſe Petri Epiſtolam; de iſta teſtificante iterum redibit quæſtio: Vnde tibi conſtat, eam ſacram eſſe & Canonicam? Et cùm ſaltuatim per varias Scripturas ante me fugeris, non effugies tamen, ſed te deprehendam in aliqua, cuius nulla alia meminerit, eſſe Canonicã. Ex qua enim Scriptura ſacra probabis, illam eſſe ſacram & Canonicam, de qua in omnibus alijs Scripturis eſt ſilentium?

Vidit hoc argumentum Dauentrienſis nycticorax. *Scio, ſcepticus Ianſenius*, inquit, *clamabit, æquè hoc ſibi videri incertum. Sed enim tam fluctuo circa Petrum, quàm Paulum: confugiendum ergo eſſe ad traditionem.* Quid autem ipſe clauſus & ſuffocatus inter has anguſtias? *O miſerum hominem!* exclamat. *Plúſne erit tribuendum communi famæ, quàm Chriſti Apoſtolo?* O miſerum peponem! reclamo ego: qui non videt, aut videre diſſimulat quæſtionis ſtatum. Non enim quæritur, An Apoſtoli Petri auctoritas communis famæ auctoritatem anteire, aut ſequi debeat; ſed, An ſit re vera Petrus Apoſtolus, qui Epiſtolam illam ſcripſit. Si enim vnde vnde conſtiterit, Apoſtolicam Scripturam eſſe (veluti nobis Catholicis, non ex vlla Scriptura, ſed traditione agraphâ Eccleſię conſtat) nemo omni famæ communi, etiam certiſſimę, præferendam ambigit.

Tandem cùm nullibi pedem figere, & conſiſtere poſſet, Rhetoricæ ſuæ memor, comparationem fatuam iſtam & bliteam ab ea petit. *Quemadmodum*, inquit, *ex ipſo Cicerone probatur, eum Aſiaticum eſſe ratione ſtyli; ex ipſo Salluſtio, eum eſſe Laconicum; ita Scripturæ materia, inſtrumentales cauſæ, forma, ſiue apta omnium partium inter ſe ſymmetria, & effectus Lectionis, meditationis, ac applicationis, abunde diuinitatem eius arguunt & euincunt.* Itáne verò, ſicut

Aſiatica

Digitized by Google

Aſiatica & fluens Ciceronis laxitas, ſicut Laconica & accincta Salluſtij breuitas; ita Scripturæ ſacræ illæ dotes omnium ſtatim incurrunt oculos? Ita, inquit, deſperatiſſimus ille, & *Proponatur Scriptura ipſa Atheo alicui, aut Gentili, fatebitur hoc, ad Dei & Scripturæ gloriam.* Huc nempe tandem ſtultiſſimæ cauſæ veſtræ deſperatio venit, vt niſi in ſenſum communem impingat, pertinaciam ſuam non poſſit defendere. Proponite igitur Atheis volumen Scripturæ ſacræ, & periclitamini, an vllum eius afflatum confiteantur, aut ſentiant. Nónne enim tot hodie Athei ſacratiſſimos iſtos codices inſpiciunt, nec tamen ſanctiùs inde commouentur, quā ad riſum? In thymo quippe etiam, violis, & roſis venenum ſuū aranei inueniunt. Si quę verò inde bonæ mētis apiculę dulcedinem & mel ſpiritale ſugunt, nónne ex SS. Patrum ſcriptis, & præſertim Auguſtini, etiam faciunt? Quo igitur ſatis euidenti diſcrimine, tot diuinos Sermones & Tractatus Auguſtini, aut aureum Thomæ noſtri Kempenſis Libellum, à ſacra Scriptura diſtinxeris? Cùm præſertim non omnes Canonicæ Scripturæ parem diuinitatis halitum expirent. Nam, vt veſter etiam vos docebit Caluinus: *Multum à ſtylo Dauidis,* inquit, *diſtant Salomonis ſcripta. Nam cùm hic poſterior formando externo homini, & tradendis politicæ vitæ preceptis magis ſit intentus; illum aſſiduè de ſpirituali tum Dei cultu, tum conſcientiæ pace, Deique miſericordia, & gratuita ſalutis promiſſione, concionari notum eſt.* Ac de Euangeliorum etiam diſcrimine: *Quin etiam,* inquit, *inter ipſos Euangeliſtas tantum eſt diſcriminis in illuſtranda Chriſti virtute, vt reliqui tres cum Ioanne comparati, vix ſcintillas habeant pleni fulgoris, qui in ipſo tam conſpicuus apparet. Et tamen omnes,* ait, *peræque exoſculamur.* Cur olim deinde, non inter Atheos ſolum, ſed inter Sanctos Patres, de Libro Paſtoris, Apocalypſi Petri, Epiſtola Barnabæ, alijſq; apocryphis ita dubitatum; niſi quia inter humanas, & Spiritus ſancti

Caluin. in Argument. Epiſt. S. Iacobi.

ſancti Scripturas nullum apertè diſcerniculum cernerent? Cur S. Ambroſius ad primum ſtatim Libri quarti Eſdræ olfactum, non abiecit, tanquam adulterinum (vti re verâ eſt) ſed honorare dignatus vt Canonicum; ſi alius longè ex ſuppoſititijs, quàm ex genuinis Scripturis ſtatim emanet odor? Cur veteres non pauci, circa S. Ioannis Apocalypſin, ſecundam & tertiam eius Epiſtolam, circa Iacobi, Iudæ, Petri ſecundam, & Pauli ad Hebræos tam diu ambigui; ſi Spiritus ſancti tam expreſſa fragantia nares afflet omniũ legentium? Et vbi, quæſo, erat naſus Patriarchæ veſtri Lutheri, cùm Epiſtolam S. Iacobi, quam vos æſtimatis, appellauit ſtramineam?

Ita negotiorum tuorũ geſtor, & tu cum eo, mi Voeti, vndique formulâ & cauſâ excidistis. Nec tantùm in duabus iſtis Quæſtionibus, ſed vniuerſis quas tibi Ianſenius ſoluendas obiecit. Auſim enim omnia mea in pignus & periculum coram quocunque erudito, nec in alteram partem, vt vos, pertinace, Iudice deponere: Omnes vniuerſim ab eo fruſtrà ſollicitatas, & ne vnam quidem legittimè ſolutam eſſe. Nec miror. Rem enim tentauit impoſſibilem.

Et quia Quæſtiones illæ omnes ſimiles & gemellæ unt, argumenta ferè quibus circa primas, conatus eius fruſtrà fuiſſe oſtendimus, per ceteras quoque pleraſque omnes duci poſſunt, & tantundem efficere. Nunquam enim agit quod flagitatur, vt ex verbo Dei ſcripto probet; ſed ad hiſtorias veteres, & in ipſas traditiones, quas maximè fugit, conſilij inops recurrit, vel ſi Scripturas tentet, nunquam ita in ijs figere pedem poteſt, quin inde ad auctoritatem Eccleſiæ, eas nobis tradentis, expelli poſſit. Sed in Quæſtione etiam alterâ, quæ pauliſper à præcedentibus abludit, iuuat oſtendiſſe.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Alio exemplo idem oſtenditur.

Ianſ. c. 8. Spong. PErgit Ianſenius quærere: *Vbi ſcriptum ſit, omnia in veteri Teſtam. Euangelijs & Epiſtolis, eſſe Chriſto in Auctoribus loquente ſcripta, & non quadam ſpiritu humano; vt olim aliqui voluerunt apud Hieronymum & Epiphanium?*

Hîc tuus Reſponſalis, ſpiritu in nares attracto: *Vah*, inquit, *Chriſtianum ita quærere?* Quî ſic, mi homulle? *Eſt hoc principium Chriſtianiſmi*, ait, *quod ante omnia credendum eſt.* Et illicò citat Auguſtinum, quaſi ſecum aduerſus Ianſenium ferocientem; ſed miſerè, imò nequiter admutilatum, expunctâ ſententiâ (ô fidem reformatam!) quæ iugulabat nimis apertè eius reſponſionem. S. Auguſt. lib. 6. c. 5. Confeſſ. *Præclarè Auguſtinus lib. 6. c. 5. Confeſſ.* ait Auguſtini carnifex: *Perſuaſiſti mihi ô Deus, non qui crederent libris tuis* (moxque cradit verſum iſtum ſequentem) *quos tantâ in omnibus ferè gentibus auctoritate fundaſti.* Vbi obiter fatebatur Auguſtinus, ſe Eccleſiarũ vbique ferè gentium, auctoritate commoueri, vt volumina illa, ſacra eſſe crederet, quæ tam multorum manibus talia habebantur. Vnde disertè paulò pòſt: *Iam*, inquit, *credere cæperam, nullo modo te fuiſſe tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, niſi & per ipſam tibi credi; & per ipſam te quæri voluiſſes.* Conſentienter nempe famoſæ alibi ſuæ, & quæ dudum vos ſuffocat, S. Auguſt. c. 5. contra Epiſt. Fund. ſententiæ: *Ego Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas.* Tentaſti quidem fauces tuas ſententiæ iſtius laqueo expedire, ſed quam fruſtrà, Ianſcn. c. 71. Spong. Ianſenij Spongia tibi oſtendit; & vidiſti, ſi oculos habes, & voluiſti aperire.

Conſtat igitur nobis, totam Scripturæ ſacræ catenam, Spiritus ſancti opus eſſe, & nullum annulum aut

ferrumen

ferrumen humani & mendacis artificis immiſſum eſſe; ſed conſtat, non quomodo vobis, vt fabulamini, ex verbo Dei ſcripto, ſed quomodo Auguſtino, ex Eccleſiæ Catholicæ traditione.

Nec de veritate iſta dubitauit Ianſenius, ſed quæſiuit ex te, *vbi ſcripta eſſet?* vt cum in Biblijs tuis non inueniſſes, fatereris per traditionem agrapham ad vos perueniſſe. Diſcipulus verò tuus, cum effugium non videret, reſilit, & reſpondendi neceſſitatem declinat. *In Scholis ſæpe audiui*, inquit lepidus puer, *contra negantem principia non eſſe diſputandum.* Attamen hoc etiam ſimul audiuit, niſi Præceptores æquè Dialecticos, ac ipſe eſt, habuit: Principia, quæ non ſunt per ſe & ex terminis nota, poſſe à poſteriori ex effectibus, deinde auctoritate, ac varijs ſignis probari, & tanquam principia agnoſci; etſi diſputari demonſtrarique nequeant per cauſas à priori. Nemo autem tam veruex & vecors eſt, vt afferat, ex terminis notum eſſe, Nullas particulas Scripturæ ſacræ, ſpiritu humano intertextas fuiſſe. Vnde igitur vos agnoſcitis hoc eſſe fidei principium? Non enim certè, vti nos, ex Eccleſiæ tradentis auctoritate. Ex ipſa Scriptura ſacra, inquitis. Quin igitur eam profertis? Sed *ſi opponerem Ianſenio*, ait iterum ridiculus tuus defenſor, *clara & euidentia Scripturæ teſtimonia, 2. Tim. 3. v. 16. 2. Pet. 1. v. 21. rideret me, ſcio, & ſarcaſticè quæreret, Vnde mihi conſtaret, verum dicere Petrum & Paulum Apoſtolos. Mitto ergo eum, nec margaritas immundis eius pedibus obijcere volo.*

Sapienter facis, tace potius mi puer, & dormi. Quis enim malit vigilare, & cum tam inhumano aduerſario, qui ſic imolat fauces & tenens ſuffocat, congredi? Sed fallitur tamen tuus margaritarius, mi Voeti, dum metuit margaritas ſuas ſpargere ante Ianſenium, ne quærat, *Vnde conſtaret, verum dicere Petrum & Paulum Apoſtolos?* Modò enim conſtet ei Apoſtolos eſſe, qui lin-

guâ, aut ſtylo loquuntur, non ambigit, verũ & purum eſſe, quidquid inde funditur. Quæreret ergo potiùs, Vnde conſtaret, Petrum & Paulum eſſe, qui Epiſtolas illas, quas citat, ſcripſerunt? Quod aliunde firmiter probare non poteſtis, quàm nobiſcum ex traditione Eccleſiaſtica; & profectò ſine ſenſu communi eſtis, ſi non ſentitis, vos omni aliâ iam ope deſtitutos, ſolâ pertinaciâ aduerſus traditiones Eccleſiaſticas pugnare.

Sed quid ad rem etiam noſtram teſtificantur *clara & euidentia* illa *Scripturæ teſtimonia*, quæ diſcipulus tuus *opponeret* ridenti *Ianſenio*? Nempe Paulus 2.Tim.3.v.16. *Omnis Scriptura*, inquit, *diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad agendum* &c. Quid putat hîc Apoſtolum pro ipſo dicere?

2. Tim. 3. v. 16.

Ne hilum enim quidem. Nam veriſſimum quidem, Omnẽ Scripturam ſacram & Canonicam, diuinitus eſſe inſpiratam; ſed quænam ſit illa Canonica, &, an inter partes Canonicas & velut aureas, nullum vilioris metalli ferrumen vſquam inculcatum ſit, non definit.

2. Pet. 1. v. 21.

Quid deinde Petrus? *Omnis prophetia Scripturæ*, inquit, *propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſancti Dei homines.* Quis dubitat? Sed non dicit Petrus, Quænam ſint illæ prophetiæ, & an Prophetæ nihil ex humano & quotidiano ſuo ſpiritu Libris ſuis miſcuerint, vt hæretici illi apud Epiphanium & Hieronymum differebant: ſed omnia verbatim & ſyllabatim, *Spiritu ſancto inſpirati*, & (vt vertit Caluinus) *impulſi, locuti ſint.* Deinde de ſolis Prophetis loquitur Petrus, vbi de *Euangeliis & Epiſtolis* teſtimonium? Quod quæſiuit etiam Ianſenius; nam iſtis quoque aliqua veteres illi errones, ſpiritu humano permixta eſſe cenſebant.

Tandem, ne egregius Reſponſalis tuus videretur prorſus detrectaſſe reſponſionem, onus iſtud in S. Auguſtini ſatis validos humeros declinauit. *Dominus Epiſcopus, teſte Fromondo,* inquit, *decies legit Auguſtinum: non dubito quin inciderit in duos Libellos, quos ſcripſit contra Aduerſarium Legis & Prophetarum.* Et ne Ianſenius ignoraret, vbi Libelli iſti quærendi eſſent: *Inueniuntur*, inquit gallina, *Tom. 6. eius Operum. Si eorum oblitus ſit, repetat quæſo lectionem, & opuſculum illud contra ſe ſcriptum eſſe cogitet.* Bona fide, an toto anno Calendæ Apriles apud vos ſunt? Ita enim paſſim à vobis quòcunque fruſtrà & in puerile tantùm ludibriũ mittimur. Nuper enim ad Euſebium, vt contraria omnia, nunc ad Auguſtinum, vt ſimilia, aut nihil omnino ad rem inueniremus.

Nam ecce ſtatim Auguſtinus libro primo: *Si apocrypha*, inquit, *quæ ſub nominibus Apoſtolorum Andreæ Ioanniſque conſcripta ſunt, illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia, quæ ab illorum temporibus, per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas, vſque ad noſtra & deinceps tempora perſeuerat, & immolat Deo in corpore Chriſti ſacrificium laudis, ex quo Deus deorum locutus vocauit terram à ſolis ortu vſque ad occaſum.* Id eſt, reflat vobis directè in os, & ingerit, vnde ſacrorum & apocryphorum Librorum diſcrimen petere debeatis. Non ex Scripturâ ipsâ immediatè, vt vos ſtulteſcitis, nec poteſtis; ſed *ab Eccleſia, quæ ab Apoſtolorum temporibus, per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas, vſque ad noſtra & deinceps tempora perſeuerat.*

S. Auguſt. lib. 1. c. 20. contra Aduerſ. Legis.

Libro verò altero, veteris Teſtam. auctoritatem, quod Aduerſarius ille legis abijciebat, tanquam à malo dæmone conditum, defendit Auguſtinus ex noui Teſtam. Scripturis, quas ille recipiebat. Quia nimirum Chriſtus & Apoſtoli, id eſt prima illa ſacroſancta Eccleſia, Libros veteris Teſtam. in religione habuerũt, & teſtimonijs inde prolatis Scripturas noui Teſtam. ſuffercerunt. Quemadmodum ferè nos quorundam

ſacrorum voluminum (vt Eccleſiaſtici, Machabęorũ &c.) contra vos auctoritatem, Eccleſiæ ſequentium temporum auctoritate ſuſtinemus; quia S. Auguſtinus & Patres, in Eccleſia illius æui columina & columnæ, ſacra teſtimonia ex illis Libris decerpſerunt. Hôc tamen diſcrimine: quòd Apoſtoli Scripturæ noui Teſtam. conditores, verbis ſuis ſacris & Canonicis aſſerant illam Librorum veteris Teſtam. auctoritatem; ad quam excellentiam ſcripta SS. Patrum aſpirare non poſſunt, quæ ſacra & Canonica Scriptura non ſunt.

S. Auguſt. lib 2. c. 2. contra Aduerſ. Legis.

Cùm verò Aduerſarius, teſtimonia *ex Lege & Prophetis mendaciter Chriſtum, mendaciter Apoſtolos protuliſſe, quia videlicet infirmi nondum poterant ſolidam capere veritatem, blaſphemaret*, reſpondit Auguſtinus: Ergo *quando Apoſtoli prædicabant credentibus Legis & Prophetarum Deum, & confirmabant auctoritatem talium Scripturarum, non lac potandum videtur dediſſe paruulis, ſed venenum. Quod de illis quiſquis credit, deſipit, vaneſcit, inſanit.*

Si autem Aduerſarius Scripturas illas noui Teſtam. quibus eum premebat Auguſtinus, tanquã non Apoſtolicas reieciſſet, aut ab Apoſtolis quidem, ſed ſpiritu humano ſcriptas dixiſſet; quid, putas, aliud ei repoſuiſſet Auguſtinus, quàm quod eruditi illi Epiſtolæ ad Philemonem apud Hieronymum defenſores: Niſi Apoſtolicæ & Spiritu diuino ſcriptæ eſſent, *nunquam in toto Orbe à cunctis Eccleſijs ſuſceptæ fuiſſent?* Atque ita vltimam ſuſcipiendorum ſacrorum Librorum auctoritatem, ad Eccleſiam quæ eſt *columna & firmamentum veritatis*, deuoluiſſet. Non quaſi auctoritas Eccleſię (exceptâ illâ primâ Chriſti & Apoſtolorum, in quibus tanquam organis Scripturam ſacram loquebatur Spiritus ſanctus) ſit formale fidei motiuum, vt loquimur. Solùm enim eſt cauſa illud applicans, & teſtificans in propoſitione aliqua reuelatâ, aut integro Libro Canonico, auctoritatem diuinam eſſe, cui fide ſupernaturali oportet credere.

S. Hierony. Præf. in Epiſt. ad Philem.

1. Tim. 3.

Igitur

Digitized by Google

Igitur Eccleſia eſt quaſi manus remouens velum à tabula, & eam in aſpectum proferens; fides verò, lumen oculi ſpiritualis, quo pictura ipſa, vt ſic dicam, & excellentia diuini artificis inſpicitur. Et ſanè, niſi talis Eccleſiæ, Scripturas & reuelationes diuinas proferentis, auctoritas à Chriſto in terris relicta eſſet, quiſque priuati ſpiritûs inſtinctu nouas Scripturas & reuelationes fingens, phantaſmata mentis ſuæ, pro verbo Dei adoraret. Cuius exemplum apertum in Anabaptiſtis, quos ideo nobiſcum deteſtamini, & meritò *fanaticos* toties appellatis. Motiua enim affectuum & aſſenſuum mentis noſtræ, multâ caligine circumfuſa ſunt, & ſæpe, vbi ſolâ auctoritate diuinâ nos moueri credimus, humani aliquid admiſcemus; & quod hæretici conſtantiam fidei in ſe eſſe putant, Orthodoxi pertinaciam humanæ opinionis eſſe ſciunt. Beza &c.

Vaniſſimum enim & ſtultiſſimum eſt, quod blatit alicubi Rhetor tuus: Diuinam in Scriptura auctoritatem tam clarè omnibus lucere, quàm lucem in ſuo ſole. Vnde, *quis niſi demens* (inquit ipſe dementiſſimus, qui hoc tam diſpari & improbabili exemplo quidquam ſe probaturum credidit) *quando videt lucem aut ſolem diſputat, An illud quod oculis percipit, luce illuſtratum ſit?*

Nemo herculè, nemo. Sed quis etiam, niſi demens & vacuo ſincipite, dicat, vbi Biblia ſua aperuerit, radiantia omnia cernere? Quare tot ergo acutiſſima ingenia & puriſſimæ mentes tantâ caligine hîc offuſæ ſunt, vt poſt longas meditationes, nequiuerint lucem illam diuinæ auctoritatis ab humanis tenebris diſcernere? Hoc enim Cap. proximo multis exemplis in oculos tibi ingeſſi. Pergit etiam fatuellus tuus porrò delirare. *Vt autem*, inquit, *lux Solis maculas in ipſo ſole prodit, & ſui ſplendorem clariùs patefacit; ita & Scriptura. Lux eſt, quæ non tantùm detegit tenebras, ſed etiam ſeipſam: adeò vt ipſa ſimul tenebras prodat, & lucem ſibi inſitam; atque ex ea,*

argui-

argui & detegi poſſint omnes maculæ, quibus obſcurari videtur. Bellè, vt legiſſe eum intelligamus Apellem poſt tabulam de Maculis Solis, & Ioannem Tardum de Aſtris Borbonijs. Sed mirũ, quòd, cũ Arundine Batauicâ opus ſit ad detegendas Solis maculas, hic homo tamen ſine vllâ Dioptrâ poſſit ſacrę Scripturę intercurrentes maculas tam acutè diſcernere. Dolendum, Theodorum Bezam non habuiſſe iſtius oculos; non tam ſæpe in noui Teſtam. Commentarijs dubitaſſet, An verſus hic vel ille, intruſus eſſet à Librarijs, aut ex margine irrepſiſſet in Textum. Vnico enim oculi coniectu maculas omnes, & aſſutos Librariorum pannos in tam fulgidâ Scripturæ purpurâ deprehendiſſet. O vanitas, nõ te refello; nam in apertum producta, omnium ludibrijs expoſita es ſatis.

Bellar. lib. 1. c. 1. de Verbo Dei.

Quid etiam ais? *Funditus à Bellarmino euerti Ianſenij Quæſtiones, & ſtultitia egregiè argui?* Nempe ita, inquit. Nam alibi, *Regula Catholicæ fidei*, ait Bellar. *certa notaque eſſe debet. Nam ſi nota non ſit, regula nobis non erit: ſi certa non ſit, ne regula quidem erit;* anteponens pro regulâ fidei Scripturam ſacram (cuius clariſſima & certiſſima auctoritas) priuatis obſcuris, & fallacibus Swenckfeldij, Quintini & Coppini ſpiritibus. Sed ideóne vobiſcum cenſet Bellarminus, Scripturam ſacram eſſe inſtar Solis, cuius ſtatim fulgor & auctoritas omnium oculos, ſine Eccleſiæ detegentis traditione, feriat?

Vide enim, vt iſto ipſo Cap. apertè contra vos, notitiam & claritatem Scripturæ, non ex ipsâ in Libris ſuis & paginis radiante, ſed teſtimonio Eccleſiæ & Orbis probet: *Scripturas notiſſimas eſſe, teſtis*, inquit, *eſt Orbis Chriſtianus, & conſenſio omnium gentium, apud quas multis iam ſeculis ſummam ſemper auctoritatem obtinuerunt.*

Nec neſciuit capreolus tuus, qui omnia ſcit, *in cuius patria (* ſi gloriari oportet *) plus lactis præbere ſolent capellæ (*matres eius*) quàm annoſi*, inquit, *& promiſſâ barbâ ſuper-*

Digitized by Google

ſuperbientes hirci: non neſciuit, inquam, iſte lacte caprinæ ſcientiæ tam plenus, vnde Bellarminus Scripturæ ſacræ diuinitatem agnoſcendam, non dudum poſtea diſertè ſcripſerit: *Veteres vno ore teſtantur*, infit, *non aliunde nos habere Scripturam eſſe diuinam, & qui ſint Libri ſacri, quàm ex traditione non ſcriptâ.* Et ſtatim Euſebij, Clementis Alexandr. Origenis, Baſilij, Auguſtini teſtimonijs firmat. Ita Belgicę fidei Punica apud vos iam ſucceſſit, vbi veterem & Chriſtianam ſimplicitatem hæretica veſtra nouitas corrupit. Sed quid mirum, Bellarminum & Theologos noſtros à vobis ſic tractari, qui ipſam Scripturam ſanctam adulteris veſtris ſenſibus quotidie conſtupratis?

Bellar. lib. 4. c. 4. de Verbo Dei non ſcript.

CAPVT VIII.

Triumphus inanis, & Quæſtiones XCIX. *quibus Dauentrienſis Ludius Papatûs iugulum petit.*

POſt *geſtus & iactationes, tanquam hominis anhelantis, & peruenire quò nititur non valentis*, vt de Iuliano Auguſtinus, *& in nebulis tamen quas perturbatus effundit ſe perueniſſe fingentis*, audi triumphos & vitulamina tui vituli Dauentrienſis, mi Voeti. *Sat diu*, inquit, *in contundenda Fromondi futilitate, & Ianſenij ignorantia occupatus fui.* Imò nimis diu, quia fruſtrà & ineptiſſimè. Sycophantijs fortaſſe aliquis pútet, ego nullâ ſolidâ ratione contuſum me ſcio. Imò, nec illas etiam ſentio. An ſi enim vitulus eleuet in me caudam, & forijs me reſpergat, iraſcar? Ridebo potiùs ruſticum & ſtolidum animal. Si ego deinde tam futilis, cur ex tam denſâ argumentorum in totâ Criſi, ſiluâ, nullum valuit exſcindere? Audacter enim coram ſole, & in luce eruditorum affirmare

S. Auguſt. lib. 4. cap. 9. contra Iulian.

Cauſ. Deſperat. c. 49.

Digitized by Google

firmare auſim, ne vnum quidem ex omnibus cecidiſſe. Maledictorum & conuitiorũ flatibus quidem me vbique repetit; ſed ventos & inania iſta clamorum contemnere, iam dudum ſumus docti. Quid enim hæc ad Theologiam? Omnes ſcurræ illicò maximi Theologi fient, ſi hoc eſt, argumentum ſoluere.

Ne deinde ſcitiſſimi & eruditiſſimi Ianſenij ignorantiam accuſet; nemo enim ei credet, niſi qui, vt ipſe, cerebrum geſtat in calcaneis.

Pergit porrò: *Cum ſtultis*, inquit, *inſaniui.* Verè inſaniſti. An verò nos ſtulti, & tecum in vincula compingendi ſimus, penes Egaſtularium inſanorum, examen eſto.

Omnia excuſſi, clamat Thraſo, qui ne muſcam quidem excitauit. *Dilui*: Ita, aquâ ſanè mundâ, & è Dauentrienſibus, credo, foricis. Nullo enim alio pænè liquore nos & argumenta noſtra aſpergis. *Detexi.* Sanè, ſed ignorantiam & impudentiam tuam egregiè. *Nihil prateriј, nihil diſſimulaui.* Infandum mendacium eſt: plurima enim in Criſi noſtra diſſimulas, aut in fuga tantùm te vidiſſe meminiſti. Præſtabat quippe vultum auertere, quàm admordere, & dentes relinquere in illis. *Diſſlaui Spiritu Chriſti.* Vnde illum haberes, qui Chriſtianus non es? Hæretici enim Chriſtiani, vt ſimiæ homines, ſunt. *Quare habent nomen Chriſti?* clamat indignans Auguſtinus. *Quid ad defenſionem poſſeſſionis veſtræ titulos Chriſti poſuiſtis? Nónne hoc faciunt nonnulli in domo ſua? Ne domum ipſius inuadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces.*

S. Auguſt, Pſal. 21.

Quid autem diſſlaſti, ventorum & vanitatis Æole? *Ficulna folia*, inquis. Certè, ſed quibus turpitudinem tuam velabas, quam toto Libro tuo pudendum in modum reuelaſti. *Pertudi vlcera, denudaui ſcabiem.* Ita, tuã, ſcabioſe hæretice. Veteres enim hæreticorum artes ſunt, dedecora, quæ in ſe caſura vident, occupare, & in Ca-

Digitized by Google

in Catholicos declinare. Sed pueris iſta imponere poſſunt, & qui neſciunt, hæreticorum peruicaciam eouſque impudentiæ euadere, vt potius quàm veritati det manus, fanda atque nefanda omnia fingat dicatq́ʒ, tantâ firmitate oris & pallore vultus, vt non eſſe hanc conſtantiam veritatis, ſed vanitatis pertinaciam, ſimplicibus videatur incredibile. Quis enim eò impudentiæ credat frontem hominis poſſe durari? Certè anteqnam res mihi vobiſcum fuiſſet, non credidi. Iam experior, obſtupeſco, ac mores veſtros abominor, abhorreo. Quis enim in media Catholicæ veritatis luce, quam, Dei munere, certiùs me videre, quàm me viuere ſentio, non exhorreſcat, tenebroſum tuum diſcipulum, ſenſum & verba S. Auguſtini, ore ſacrilego vſurpantem: *Si deceptus ſum Domine, tu me decepiſti: ſi erro, tu errare feciſti.* Pertinacia, pertinacia, & ſuperbia veſtra, non Deus, vos errare facit. *Hæc eſt magna cæcitas cordis, & ſi nec ipſam in vobis agnoſcitis, hæc eſt maior cæcitas cordis,* ait olim ad fratres veſtros Donatiſtas S. Auguſtinus. S. Auguſt. lib. 2. c. 68. contra Petil.

Poſtquam autē ille tuus omnes ſuos ventos gloriando efflauit, & triumphum totum de Ianſenio & me, ſine victoria ſatis decantauit, Quæſtionibus Ianſenij triginta tribus, *ſtultis & ridiculis, iam exarmatis, oppono nonaginta nouem,* inquit, *partim poſitiones partim quæſtiones, eaſque ſerias, ſolidas, cordatas, & quæ omnes iugulum Papatûs ſpectent.* Papæ! Væ Papatui, Papæ, & nobis.

Sed inſpiciamus tamen aciem nouaculæ, qua iugulum Papatûs abſcindet: aliquot, inquam, ex myſtico XCIX. Quæſtionum numero, quibus ſic ferocit.

Quid ſentiendum de candela Atrebatenſi? Trunci enim, ſtipites, ac lapides ſunt inquit, *qui ei religionem & miraculum aſſignant. Per duas horas ſolummodo, in medio foro ſub dio collocetur, & apparebit facilè, aut impoſtura ſacerrimorum Monachorum, aut Diaboli.* Firmiter ædepol, Eccleſiæ Catholicæ ædificium, contra ardentis Inferi portas nititur, ſi

 cereâ

cereâ candelæ vnius columellâ ſuſtinetur! Sed vnde tu etiam tam repentè magus, vt duarum tantùm horarum ſpatio deponi in foro poſtules, vt Monachorum aut Diaboli impoſturam deprehendas? An fortè aliquando Atrebati fuiſti, & es periclitatus? Non credo ranas tam longè in mediterranea erepere è ſuis paludibus. Sed Rhetoribus atque Poëtis quidlibet fingendi ſemper fuit æqua poteſtas. Miror deinde, cur S. Huberti ſtolam ex Arduenna non vnâ operâ rapueris, vt Papam ſtrangulares. Hæc enim etiam detrimenta ſentire negatur, etſi quotidie aliquid in rabientium & hydrophoborum medicinam forfex demetat.

Quæſtio alia eſt: *Quid ſanctimonia ſitum eſt in Ioſephi anhelitu*, ait iugulator Papatûs, *qui exceptus eſſe dicitur ab Angelo, cum lignum finderet, & in ampulla concluſus, magna cum deuotione ſeruatur prope Bleſas?* Valde, ſcilicet, ea cura Papam ſollicitat, quid in Gallia circa Bleſas à mulierculis fit, aut deliratur. Quaſi non poſſimus tibi ſimile, quod olim Hieronymus patri tuo Vigilantio, qui cereos Martyribus accendendos negabat, reponere: *Quòd ſi aliqui, propter imperitiam & ſimplicitatem ſecularium hominum, vel certè religioſarum feminarum* (*de quibus verè poſſumus dicere: Confiteor,* zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam) *hoc, pro honore Martyrum faciunt: quid inde perdis?*

S. Hierony. c. 3. contra Vigilant.

Ceteras eiuſdē farinæ, aut nequioris pulueris Quæſtiones: De nupero S. D. N. Vrbani VIII. morbo: De S. Rochi canonizatione: De metu Papę non audentis amplius controuerſias definire: De Gregorio XIII. qui ſtrabonibus videtur in quadam Epiſtola, traditiones agraphas negare: De foramine cathedræ Papę, & ſexcentis alijs aut nugis, aut ſycophantijs, quis oculorum tam patiens, vt ferat huc reſcribi, & in aſpectum redire? *Ad piper, & quidquid chartis amicitur ineptis*, aut ad foricas tales chartæ. Et tamen vouet & ſuſpirat ſuauiſſimus

Digitized by Google

niſſimus homo: *Vtinam verò* inquit, *omnia puncta & commata huius mei ſcripti examinare & expendere vellent!* Nempe, ne ſolus inſaniat, & omnes vnâ naui Auticyras nauigemus.

Alibi etiam conqueritur, quòd non ocyus commata veſtra & puncta diſpungamus: quaſi in ſtudijs iſtis & negotijs Academicis, quæ nos vndique circumſtant & premunt, tam vacui ſimus, vt vacet in quiſquilijs illis multum ruſpari. Non eſt mirum, quòd non illicò vobis reſpondeamus, ſed quòd vnquam. Helleboro, non atramento ſanandi eſtis, & tanquam á remedijs alijs deſperatos tradimus Hippocrati. Certè enim, ne manum meam ampliùs expectate; ſat multa ſeria habeo ad quæ extendam, nec mihi otium, cum ſcurris & laruis iſtis luctari. Potiùs Deum, qui ſolus cæcis viſum, lapideis cor carneum reddere poteſt, pro vobis exoremus. *Tempus eſt enim, vt impendamus in eos* (ſimiles vobis) *magnam charitatem* inquit pius Auguſtinus, *abundantem miſericordiam in deprecando Deum pro illus; vt aliquādo det illis ſenſum ſobrium, vt reſipiſcant & videant ſe; quia non habent omnino, quod dicant contra veritatem. Non ijs remanſit niſi* SOLA INFIRMITAS ANIMOSITATIS: *quæ tanto eſt languidior quanto ſe maiores vires habere exiſtimant.* Nimis verè, & ſi vnquam in vllos hæreticos, in vos iſta directè cadunt. Si quis enim paulò quàm vos tranquillior, ſpumas irarum, & ſputa argumentorum veſtrorum inſpiciat, facilè cauſam veſtram ſola animoſitate & pertinaciâ ſuſtentare videbit, quam ratione nō poteſtis. Satis id antè liquidò oſtendi: & vis etiam ex ceteris diſcipuli tui ſcriptis, raptim & carptim à me iterum fieri? Non enim tantùm ..... *facit indignatio verſum*, ſed etiam proſam poteſt. Sed vnde incipiam? Quomodo ſiluam tantam ineptiarum exſcindere & in faſces digerere poſſim? Alicunde ſecuris immittenda tamen. A mendacijs, quibus totus Liber ſtat & ſcatet,

S. Auguſt. Pſal. 32.

rem aggrediar. Nec ſingula diducam, aut omnia colligam (nunquan enim finiam) ſed aliqua tantùm ad indicium, & velut per ſatyram arripiam & conijciam in cumulum.

CAPVT IX.

Mendacia Ludimagiſtri Dauentrienſis.

I. Deſperati ſſ. Cauſ. c. 5. NEmo, inquit, *à Lutheri temporibus vſque ad hunc diem à Reformatis Magiſtratibus capitis ſupplicio eſt affectus, ideo quòd Papanam religionem amplecteretur.*

Palàm & grande mendaciũ. Gallicę, Anglicę, Belgicæ hiſtoriæ plurima exempla dabunt; etſi cauſas alias futiles hęretici prætexere ſoleant. Nemo enim hypocriſim & crudelitatẽ ambulantem ſine iuſtitię mantelo vidit. Innumeri etiam innocentes, ſolo Catholicæ religionis odio, ſæuis & tragicis exemplis plurifariàm oppreſſi, vidente & conſentiente Reformato Magiſtratu. Vide, quæſo, *Theatrum crudelitatis Hæreticorum noſtri temporis*, impreſſum Antuerpię an. M. D. LXXXVII. Annales quoque ſeculi elapſi pleni ſunt: & ne vituli tui ſubtilitas, more ſuo, *Omnes ad mentiendum auctoratos* clamet, nos hiſce auribus à patribus noſtris, quæ viderant & ſenſerant, audiuimus.

II. *Clementiam*, inquit, *& manſuetudinem noſtra doctrina Papani volentes nolentes agnoſcere coguntur.*

Non facimus. Sanguinaria, crudelis, ſæua eſt doctrina veſtra; inter nitrum & ſulphura tormentorum nata, ſimilibus etiam paſcitur. Seculi præteriti, & quæ huc vſque penetrauerunt bella, & flumina ſanguinis quæ fudit, faciunt fidem. Papæ, quàm manſuetè & molliter nuper ad carbones Leodienſes calefacti à veſtris viri illi Religioſi & inſontes Moſę traiecti! Simili clementiâ Agrigentinos ſolitus Phalaris calefactare in ſuo

Digitized by Google

ſuo boue. Sed *toleramus Papanos & defendimus*, ait, *iura ciuitatis concedimus; imò alicubi etiam beneficijs ornamus.*

Valde, ſcilicet. Quaſi ignoremus, quid vos, ô clementes Miniſtri, in Conſiſtorijs veſtris aduerſus Catholicos Sacerdotes machinemini. Nónne Vltraiecti exemplum iam in manibus, quod tu ipſe mi Voeti, fabricaſti? Non doctrinæ, non veſtra clementia, ſed politia & materia Statûs eſt, quòd vllus Catholicus, aut Arminianus degat hodie in tota Hollandia & Prouincijs fœderatis. Et nónne manſuetiſſimus diſcipulus tuus excitat Magiſtratus, vt altaria omnia & ſacras imagines diſſipent, & Sacerdotes vndique exterminent? *O ſi hæc animaduertant noſtri Ephori*, exclamat, *& ſacro aliquando Aſa, & Ezechia zelo omnia idola & altaria confringant, Baaliſque ſacerdotes, qui ad catadapa æternæ perditionis fallacijs & blandiloquentia multas ſimplices animas pelliciunt, Prouincijs ſuis exterminent!* Et adhuc negatis vos claſſicum inflare, & Magiſtratus veſtros in Catholicos incendere? Imò, ſi conſilij eius res iſta eſſet, Sacerdotes omnes vellet Plautinus homo in piſtrinum dedi.

Pigri, inquit, *famelici, & indocti aſini, velut locuſtæ per domos opulentiorum ruſticorum dioeceſis noſtræ perreptant: quos ſi luberet clemẽtiſſimo Magiſtratui noſtro comprehendere, multi generoſi equi piſtrino dimitterentur.* Malè quippe eũ habet, quòd macros ſuos vngues non etiam poſſit in pingues illas ruſticorum offas inijcere. Sed cum nec altare, nec ſacrificium habeatis, de altari viuere non poteſtis. *Dominus* quidem etiam *ordinauit ijs qui Euangelium annunciãt, de Euangelio viuere*: ſed Iouinianiſtas, Aërianos, Vigilãtianos, Eunomianos (quales vos antè eſſe docui, & parte magnâ fatemini) Hieronymus negat habere Euangelium. Quia *non in verbis Scripturarum*, inquit, *eſt Euangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis.* 1. Cor. 9. S. Hierony. cap. 1. ad Galat.

Ait

III. Ait deinde *Gallos Papiſtas*, inſonte Hollando milite, *ſtupris polluiſſe Virgines Veſtales*, in nupero excidio Thenenſi. Mendacium itidem eſt; etſi initio ſic à fama vulgatum. Nam Virgines à me examinatæ, faſſæ ſunt, ſe Gallis vſque ad ſanguinem & vulnera, aduerſus impetum & inſaniam Hollandorum defenſas: & cùm fumante pænè adhuc incendio Thenas petiſſem, vulgatiſſimum erat, milites illos, qui ægram feminam repetito concubitu oppreſſiſſent & exanimaſſent, è Hollandis fuiſſe; nam Belgicâ linguâ proditos affirmabant.

IV. *Diſſoluta*, ait, *vita Catholicorum inter nos, & malum exemplum multos ex infirmis* Caluiniſtis *encaniare docet, & haud aliter eos ſeducit, ac Moabitarum puellæ Iſraëlem ad ſcortationem & idolatriam pelliciebant.*

Calumniam & mendacium iſtud, tam in publico poſitum, deſpuere poſſunt mores Catholicorum in Hollandia. Sed hîc non ſtat eius impudentia: *Putáſne nos*, inquit, *ignorare, quales canes & Fauni ſint, qui apud nos Præfecti ſunt petulcis Cloppis?* Verè ignoras, calumniator & Sycophanta. Nec niſi, quia cor tibi luteum & in Venerem putre, alijs ſcabiem tuam affricare voluiſti. *Nec ita tantùm inter nos*, ait, *ſub cruce, vt loquuntur fratres impudentiæ, viuitur, ſed in medio etiam Papatu.* Veni ergo Louanium, & Clerum noſtrum vide. Aut alius iratior δὶς κόρακας te potiùs mittet, qui tibi exſculpant oculos, quibus non indiges, ſi videre non vis.

Phil. Nicol. lib. 2. de Regno Chriſti. O verum & vatem, Philippum Nicolaum S. Theol. Doctorem Lutheranum! *Abundant*, inquit, *ſcorpionum punctulis venenatiſſimis omnia Caluiniſtarum ſcripta; ſi iſtorum criminationem, ſugillationes, ſcommata, mendacia, ſannas, & inſultus poſticos, conuitiáque aduerſus ſuos oblocutores euulgata contemplemur.* Vnde credit, in ſpiritu à S. Ioanne præuiſos, imagine locuſtarum, quæ *habebant caudas ſimiles ſcorpionum.* Poſtea vocat *locuſtas Mahumeturientes, Pſeudo-prophetas, ingenio Saracenico, pietate fucoſa, Gogitico in ipſis nidulante Satanâ.* [Apocal. 9.]

Dicit

Dicit Quæſtionem iſtam inuentam à Ianſenio, nec vetuſtioribus reformatoribus obiectam, *Qui eſtis, & vnde venitis?* Et ridet me, quòd id refellerim Cochlæi & Ræmundi teſtimonijs, quia teſtes ſunt nobis domeſtici. V.

Sed mendacium eius retundunt non tantùm hiſtorici, ſed Theologi Catholici, qui ſcriptis ſuis olim obiectarunt. Vide, ſi tibi lubet, Stapletonum aduerſus Witakerum. Aut ſi mâlis vetuſtiorem, Ambroſ. Catharinum, cui cum Luthero vita fuit, & certamen. *Vehementer à principio admiratus ſum,* inquit, *quanta illi (* Lutherus & ſodales eius *) confidentia eos deteſtentur, qui ſibi ipſis deferunt prædicandi munus non vocati, neque miſſi. Illos autem quis vocauit? quis miſit? quis poteſtatem dedit?* Et nónne deinde Iac. Thuanus, cuius tripodi in re hiſtorica, plurimum diſcipulus tuus fidit, & *maximum virorum* appellat, apertè & diffusè narrat, Claudium Eſpenceum ad Bezam, *Mirari ſe ſubinde ſæpius dixiſſe, quâ auctoritate Proteſtantes & à quo vocati & inſtituti ad Miniſterium eſſent: & cùm neminem citarent, à quo manus impoſitionem ſuſcepiſſent, quomodo legitimi Paſtores cenſeri poſſent. Nam manifeſtum eſſe, vocatione ordinariâ minimè inſtitutos: cùm autem ad extraordinariam miraculis opus ſit, nec ea ipſi edant, neceſſario ſequi, nec ſecundum ordinem, nec extra ordinem eos in domum Dei ingreſſos eſſe.* Eat iam, & Ianſenium, *nouum Achillem, de Vocatione & Succeſſione Miniſtrorum contexuiſſe* blateret. Quas enim impudētia eius tenebras aduerſus tam claram lucem offundere perſeuerabit, prorſus neſcio. Imò ſcio: multo enim conuitiorum puluere iacto aërem turbabit, *aſinos, talpas, porcos, canes, mures, ranas, bubones,* ceteraſque ſuas beſtias reuocabit, quibus argumenta mea ſoluere ſolet.

Stapleт. Contr. 2. q. 4. a. 2. &c.

Catharin. cap. 1. ad Galat.

Thuan. lib. 28. Hiſtor.

Sed palmare hoc & ſtolidiſſimum mendacium eſt, quòd *ne vnam quidem replicam in tota Criſi* aduerſum te *adferre potuerim.* Quid igitur egi per longam illam XLV. VI.

Digitized by Google

Capitum ſeriem? Quid eſt, quod tanto anhelitu, per XLIX. Capitum labores Deſperatiſſima eius Cauſa extricare nititur, & ne hilum proficit? Legat Criſin noſtram Lector, cui vacat, & Deſperatiſſimum tuum diſcipulum contrà; videbit conſertam & confertam numeroſiſſimarum replicarum catenam, cuius ne vnum quidem annulum omni maledicendi ſtudio & conatu defringere potuit. Nam ecce capitales aliquot totius inter te & Ianſenium controuerſiæ, replicæ.

Per tres vias Lutherum vocatum vocatione ordinariâ ad reformandam Eccleſiam dixeras: per Monachatum, Presbyteratum, Doctoratum. De Monachatu reſpondi, Monachos quidem capaces eſſe Iuriſdictionis & poteſtatis ad docendum populum, ſed eam non indui cum cucullo, nec actu haberi, niſi aliunde imponatur. Res omnium Doctorum conſenſu, & praxi teſtatiſſima.

Repònit Ludimagiſter tuus: *Monachaſtris, qui relicto Clauſtro in Hollandiam ſe conferunt, & publicè ac domatim, quàm poſſunt feruentiſſimè omnes monent, id licere*; igitur & Luthero Monacho idem licuit. Clauda vtroque pede ſimilitudo: nam Monachaſtri illi vocationem & miſſionem à ſuis Prælatis & ſummo Pontifice, non per Monachatum, ſed per collationem alterius nouæ poteſtatis Monachiſmo ſuperinductæ, habent.

Sed neque per Presbyteratum Lutherus, inquiebã, in miſſionem iſtam intrare potuit; quia nuda Presbyteri ordinatio, duplicem tantùm poteſtatem, ſacrificium offerendi, & peccata remittendi tribuit. Vnde Iuriſdictio, ſi ei detur, aliâ, quàm ordinationis viâ, venire debet. Probauique euidenter ex S. Auguſtino, officium Iuriſdictionis ſeparabile eſſe à poteſtate ſacri Ordinis: quia, *ſi aliquâ culpâ*, inquit, *quiſquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit.*

S. Auguſt. cap. 24. de bono coniug.

Tuus

Tuus verò contrà, Ordinatione ipſâ Iuriſdictionem tribui contendit; id eſt, nugas agit, & ſtuporem ſuum oſtendit. Si Theologo non credit, petat à Canoniſtis.

Ad conuitia deinde, coccyſmos & clamores ſolemnes redit. Quærat ſibi ſimilem, qui ad iſta reſpondeat, mihi ſycophantiari non vacat.

Tandem ad Doctoratum Lutheri venimus. Reſpõdi, ab iſtâ Laureâ quidem adeptum eſſe facultatem Cathedram Magiſtralem aſcendendi, *& miſſionem ad aliquod officium Paſtorale in Eccleſia Rom. exercendum habuiſſe; ſed ex vi talis muneris, actus illos quibus fundamenta Eccleſiæ quæ eum miſerat, ſubuerteret, exercere non potuiſſe.* Ad quæ mea verba, vitulus tuus exiliens, *Io triumphe! io! io!* exclamat. Io Bœote, reclamo ego. *Vicimus*, inquit.

Scilicet. Dixerat enim tibi Criſis, quare victi, non victores eſſetis. *Si vxor tua famulæ imperaſſet eluere ollas & extergere, crederétne*, inquiebam, *bella iſta famula, ſi omnes in parietem illiſiſſet confregiſſetque ollas, officio ſe ritè & ordine functam fuiſſe?* Non enim magis ouum ouo, quàm iſtud famulæ cum Lutheri facto eſt ſimile. Miſſionem enim Lutherus acceperat ad docendam Eccleſię Rom. fidẽ, cuius auctoritate paulò antè Academia & Cathedræ Wittebergenſes fuerant erectę: ſed ecce in contrarium verſus, qui miſſus erat ad ędificandum, cœpit deſtruere, qui ad ſuppetias ferendas, hoſtilis exercitûs ſe ducem conſtitueret. Quæ verò tuus, de *aſino extraordinariè celeriùs currente, de M. Craſſo ἀγελάςῳ ridente*, ſolennes horti eius ſunt betæ. Curſus enim iſte inſolens, eſt in facultate phyſicâ loco-motiuâ aſini, riſus in ſplene & diaphragmate Craſſi; ſed in facultate morali datâ à Superiore ad ędificandum aut reparandum Eccleſiæ ędificium, nemo, niſi bliteus & fatuus, dicit ineſſe licentiam deſtruendi & omnia euertendi. Criſi c. 18.

VII. *Papani*, ait alibi, *illeſâ obduratâ ſuâ conſcientiâ, magnâ cum deuotione aliquando familiarem ſuum amicum, Dominum*

Diabolum adorare poſſunt. Docet hoc Vaſquez in part. 3. d. 110. c. 5. Adi, quiſquis es Papiſta, ipſum Vaſquez, & contremiſce.

Adeamus ergo Papiſtæ, & contremiſcamus, vt Marpeſiæ cautes. *Affectus interior*, infit Veſquez, *qui fertur in excellentiam apprehenſam rei quam adoramus, dirigit omne opus exterioris adorationis, taliſque virtutis eſt, vt per quamlibet rem Mundi, illud exterius ſignum in Deum ipſum transferre & dirigere poſſit.*

Vaſq. 3. p. d. 110. c. 5.

Vnde infert, quòd *in radio luminis, quod quandoque apparet, poterit quis ex recta circa Deum intentione & affectu, ipſum venerari: & quamuis ibi eſſet dæmon, ipſi nullo modo aut affectus ſeruitutis, aut exterior nota ſubmiſſionis exhiberetur.*

Quid tibi iam videtur Voeti? Nónne diſcipulus tuus in Vaſquium (vt in Ianſenium & me toties) ſplendidè mendax eſt? Eſtne hoc enim *adorare Dominum Diabolum*, adorare Deum in radio, intentione ad eum vnicè conuersâ, & auersâ à dæmone, qui fortaſſe radio ſe immiſcuit? Dicítne adorari dæmonem, qui negat, *vllo modo, aut affectum ſeruitutis, aut exteriorem notam ſubmiſſionis ei exhiberi?*

Sed Vaſquez negat, inquit, neceſſarium eſſe, addere expreſsè conditionem, *Si tu es Deus.* Quid tum? Intentio Deum à dæmone ſatis ſeparat. Quid ſi enim dæmon omnibus creaturis ſe inſerat? An in nulla Deum adorare licebit? Prætereamus & negligamus furciferum iſtum, & in Deum noſtrum obtutum & adorationem figamus.

VIII. Simili impudentiâ Coſtero affingit, quòd dicat, *Papanes non ſolùm fruſtulum panis adorare, ſed ei attribuere vim expiandi peccata.*

IX. *Fromondus ſceleſtiſſimè plagiarius*, inquit alicubi, qui voculam *ſaltem* omiſit, quam addiderat Voetius.

Apertè plagium meum & ſcelus mentitur, vbi clariſſimè nullum eſſe videt. Quid enim intereſt, ſiue dicam, *Luthero ſaltem* (quia presbytero) *licuit, quod feminis*; ſiue

nis; ſiue dicam, *Luthero licuit, quod feminis*; nempe ſine ſpeciali miſſione (quod contendebat Voetius) euangelizare? Scio, mi homo, ſycophantias hæreticorum, & quantos clamores tollant, ſi cui Catholico in citatione vox fortè vna addita, aut detracta per incogitãtiam; Archiſophiſtæ & vnici artifices, ex muſca elephantem, ex arena facere montem. Noli igitur ſperare, à me ſciente & prudente hoc vnquam committendum.

Ipſe contrà, infami mendacio, Bellarmini verba adulterat, & in hæreſim ſuam deprauat: *Supra ex Card. Bellarmino*, inquit, *audiuimus, Nihil eſſe de fide, quod non ſit ſcriptum apud Prophetas & Apoſtolos.* Et tamen verba Bellarmini, quæ ipſus paulò antè citat, ſunt iſta: *Non poteſt aliquid certum eſſe certitudine fidei, niſi aut immediatè contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per euidentem conſequentiam deducatur.* Itane eadem ſunt, *Verbum Dei*, & *Verbum ſcriptum apud Prophetas & Apoſtolos?* Nónne Bellarminus verbum Dei in ſcriptum, & non ſcriptum diuidit, & totos Libros *De verbo Dei non ſcripto*, aduerſus hæreſes veſtras ſcribit? Et tamen vos eſtis, ſi Superis placet, illi Scriptores & Hiſtorici fideles, quorum *vnus præſtat*, ſi ſtultiſſimo tuo vitulo credimus, *centum Cochlæis, mille Staphylis, & decies mille Bolſecis.* Sic ſe & ſuos X.

Scaberat, vt porcus contritis arbore coſtis. Lucil.

Et tamen, præter Pleſſæum tot mendaciorum à Perronio conuictum, præter Centuriatores, alioſque à Catholicis ſtigmatias, non ignoras, quid de Hiſtorico veſtro Io. Sleidano Carolus V. Cæſar dicere ſolitus.

Dixeram in Criſi, *Cyprianum in Epiſtola ad Iubaianum diſertè fateri, conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ à Stephano Rom. Pont. & ceteris aduerſarijs ſibi opponi.* Tuus contrà, tantâ meâ nequitiâ velut in ſaxeam Nioben obſtupefactus: *Impudentiſſimum mendacium!* exclamat: *totâ illâ Epiſtolâ ne mentio quidem fit Stephani Papæ.* Fucus & fi- XI.

gmentum puerile. *Fruſtrà quidam*, ait Cyprianus, *qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt; quaſi conſuetudo maior ſit veritate.* Lippis autem & tonſoribus notum eſt, per *quoſdam* iſtos, Stephanum quocum Cypriano controuerſia erat, & Orthodoxos ei adhærentes deſignari. Sed, vt video, Rhetor tuus nec lippus, nec tonſor eſt: aut potiùs hypocrita & ſimulator egregius, qui nodos in ſcirpis vndique quæritat, vt futiles ſuas calumnias, quibus totus Liber eius ſcatet, nobis ſtruat. Et tamen homo ſanctiſſimus, *vbique*, vti ſe iactat, *bonam fidem præſtare ſtudet.*

XII. Ait me *flagitioſiſſimè mentiri*, quòd aſſeruerim, Oecolampadium, Luthero teſte, Lib. de Miſſa priuata Tom. 7. *ictibus Diaboli horribilibus & quaſſationibus ſubitò extinctum eſſe.* Additque, *proteſtari ſe Libellum ter percurriſſe, & ne tamen quidem Oecolampadij nomen offendiſſe.*

At ego nolo eum ſimili fulmine *flagitioſiſſimi mendacij* percutere: *Quid meruêre boues?* Dico tantùm in Cretâ, patriâ Iouis natum, niſi cæcus fuerit, ſi vel ſemel percurrit Lutheri Libellũ de Miſſa priuata Tom. 7. Edit. Witteberg. apud Thomam Klug, An. M. D. LVIII. pag. 230. *f.* *Sed ſi vobis*: & Oecolampadij nomen, & hæc verba non ſtatim offenderit: *Ego planè perſuaſus ſum Emſerum & Oecolampadium, & ſimiles, his ictibus horribilibus Diaboli & quaſſationibus ſubitò extinctos eſſe. Nec enim humanum cor horrendum hunc & ineffabilem impetum, niſi Deus illi adſit, perferre poteſt. Satan enim in ictu oculi repentè totam mentem terroribus & tenebris adobruit.*

Mendacij alterius me arceſſit, quòd dixerim, Lutherum à Diabolo aliquot fidei Lutheranæ Articulos didiciſſe. Iterum Lutheri Libellum relegi; nec, cur ſententiæ prioris me pœniteat, inueni.

Luther. de Miſſa priuat. *Contigit me ſemel ſub mediam noctem ſubitò*, inquit Lutherus, *expergeſieri. Ibi Satan mecum cœpit eiuſmodi diſputationem. Audi Luthere, Doctor perdocte &c.* Deinde quinque

que Satanæ recitat argumenta, quibus eum conuicit: *Miſſas priuatas horrendam eſſe idolatriam*: Quòd hactenus non habuerit veram fidem magis, *quàm Turca & omnes Diaboli*: Quòd Miſſa priuata ſit *contra institutionē, contra mentem & ſententiam Christi*: Quòd verba *in cœna*, & Apoſtoli 1. Cor. 11. aliter interpretanda eſſent, quā quindecim annis antè intellexerat. Cùm tamen Satan ex iſto antecedente inferret, vrgeretque vt deſperaret, negauit prudenter conſequentiam Lutherus, ne Iudæ infortunio ſe implicaret, & laqueo ſuſpenſus medius creparet. Quæſo, Lutherum Lector legat, iudicetque, an *vnquam eum reſpexerim*; quod ſuauis diſcipulus tuus negat. Alibi etiam addit, me *In vita vix decem, aut duodecim libros legiſſe*: Nonnunquam, *Hominem paucorum librorum eſſe*. Imò, vt meum etiam mihi Breuiarium eripiat, *Nullos libros vidiſſe*. Alicubi, *Conceptis verbis iurare auſit*, vir religioſus, *me nunquam vel vnum ex ijs Patribus, quos cito, legiſſe*. Attamen longum *Indicem Auctorum*, quos in Criſi cito, recenſe, ſi placet mi Voeti, vt tuos in Cauſa Deſperata feciſti; non temerè vnum reperies, quem non legi. Olim enim deceptus, non facilè iam quemquam fide alienâ citare ſoleo; præſertim aduerſus hæreticos ſophiſtas, qui voculam vnam aut apicem male & incogitatè poſitum, vt ille Gen. 3. v. 15. (intelligis quid velim) clamoribus diffamant, quaſi ab iſto vno araneæ filo tota cauſæ moles dependeret.

Lutherano mendacio Zwinglianum addit. Negat Zwinglium animo pugnandi, ſed tantùm *ſuos è verbo Dei conſolandi gratiâ*, Tigurinæ aciei aduerſus Pagos Catholicos An. M. D. XXXI. ducem ſe præbuiſſe. Additque, *bipedum blaſphemiſſimum eſſe Campianum, qui virum innocentiſſimum, gladiatorem vocat*. XIII.

Sed non è Surijs, aut Cochlæis, ſed fideli veſtro Sleidano, contrarium tibi ipſique in oculos ingeſſeram: Io. Sleid. qui narrat Zwinglium *virum fortem & animoſum*, noluiſſe lib. 8.

domi

domi reſidere, ſed *omnino communem ſubire Martem, ne magnam ſuſtineret inuidiam; quaſi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipſo autem diſcrimine remolleſceret.* Phil. Nicolaus, S. Theol Doctor Lutheranus, non tam molliter. Zwinglij enim necem cum Arij comparat. *Horribilis vtriuſque Hæreſiarchæ exitus*, inquit. *Miſeranda morte Arius, diſſolutis & excretis inteſtinis, occubuit: ſimili fato perijt,*

Phil. Nicol. lib. 2. de Regno Chriſti.

Et cecidit patrio bellator Zwinglius enſe.

Mendaciter quoque, & contra Zwinglij narrationem & apertam mentem, eleuat famoſum illud ſomnium, in quo à ſpiritu (*ater fuerit, an albus*, inquit, *nihil memini)* adiutum ſe fatetur, ad euertendũ Euchariſtiæ myſterium. Agitque Deo gratias pro imaginaria iſta reuelatione: *Leue* enim *non eſt*, inquit, *quod per ſomnium didicimus, gratia Dei, in cuius ſolius gloriam iſta prodimus.*

Zvvingl. in Coronid. de Euchar.

Ludit verò iterum & ineptit Ludimagiſter tuus in adagio, *albus* an *ater*; quaſi non adiuerim Chiliades Eraſmi, quò Ianſenium contra teipſum miſeras. Ac tandem, ſatis mihi eſſe dixi, quòd Zwinglius *in errore ſuo Sacramentario confirmatus fuerit ab ignoto ſpiritu, imaginationem inter ſomnium ei mouente.*

Criſ. c. 15.

Paucula verò verba quæ raptim per parentheſim Beza interijcit, quæque poſſunt, & viſa ſunt mihi primâ fronte, de Zwinglio, meliùs tamen (vt etiam nunc video) de Ioachimo Weſtphalo dicta accipiuntur, quomodo dilatat, diſpergit, triumphat, & ſaltat elephas! Quidni enim faceret? Hoc vnicum eſt in tota Cauſa eius Deſperatiſſima, quo oculos & mentem non ſibi planè excidiſſe probat: cetera, follis tantùm & veſica ventis, vanitate, mendacijs, calumnijs, ſine pudore & ciuilitate in Ianſenium, me, Eccleſiam Catholicam vndique rumpitur & crepat. Nec tantùm noſtrorum iudicium hoc eſt, ſed quicumque inter vos paulò pudentiores, tranquillæ ſunt & ſuæ mentis.

Habe

Digitized by Google

Habe igitur, perperàm à me Zwinglium poſitum pro Weſtphalo (quod nihil ad rem & Bacchum noſtrũ) modò reliqua & cauſam totam tibi, velis nolis, extorſerimus.

Hoc etiam mendacium mihi grande infligit. *Quis boni quid*, rogat, *expectet ab hoc Critico, qui non verecundatur adeò impudenter & aperto capite mentiri, Bernenſes An.* M D L V. *proſcripſiſſe Caluini doctrinam de prædeſtinatione?* Deinde, *ne vnum quidem ex meis Scriptoribus adducere poſſe credit, qui mendacio huic patrocinetur.* Vnde, *certò credit, me in mucoſo* (Ludi Dauentrienſis & fuſtitudinarum Scholarum flores) *meo cerebro cudiſſe hanc calumniam.* XIV.

At mentitur ipſe, ſi verum eſt, quod tumet vter & *bibit amphora,* ſe omnia ſcire & legiſſe. Nam Franc. Balduinus ad familiarem ſuum olim Caluinum: *Quàm hæc tibi,* inquit, *placuerit admonitio* (Melanchthonis, qui non probabat Librum eius de ſeruitute humani arbitrij) *vel tu huic Magiſtro, quem mihi das, parueris, teſtantur ea quæ poſtea tanto vehementius contrà ſcripſiſti, & in quibus ſic tumultuatus es, vt ne quidem tui alioqui fœderati ferre potuerint tuam in hoc genere intemperiem, & ſuos Miniſtros tibi ſubſcribere. Teſtis eſt* (attende aurem) *ipſius Senatus Bernenſis ſententia, lata* III. *April.* M.D.LV. *qua tua illa axiomata procul ex ſuis ditionibus faceſſere iuſſit.* Prorſus, vt nuper Proceres Friſiæ decreta ſimilia Synodi veſtræ Dordracenæ è Regionibus ſuis iuſſerunt faceſſere.

Cùm Paſtores, inquiunt, *nonnulli ſubinde, ac nuper etiam in Bolſuerdienſi Synodo auſint regulas Eccleſiaſticas regiminis in communi Synodo Dordrechtana conſtitutas in hanc terram introducere* &c. *Eam ob rem, vetant atque interdicunt disertè Proceres omnibus Paſtoribus, ne dictas regulas Eccleſiaſtici regiminis in vllo Synodico aut vicinali cœtu proponant, conenturve introducere, aut ad vſum conferre. Si quis propoſuerit, aut tale quid machinatus fuerit, eum volunt haberi turbatorem pacis publicæ, & pro negotij qualitate puniri* &c. *Actum decretumque* Dan. Tilen. in Not. ad Can. Dordrac.

Digitized by Google

tumque in hoc ſtato Conuentu Procerum, in Baſilica Procerum, Leouardiæ x. *Iul.* M. D. C. XXII.

XV. Etiámne adhuc fœtentem illam Pleſſæanæ diſputationis Camarinam mouere non eſt veritus? Si quid pro cauſa Pleſſæi, iam dudum depoſitâ valebat, cur non maculoſiſſimi Libri notas à Ianſenio notatas, & Augiæ illud ſtabulum purgare eſt aggreſſus? Nihil verò hîc auſus, mentitur tantùm, Ianſenium à te, & quidē ex Thuano, qui, vt ipſus fateris, *Collationi præfuit*, & Perroni Epiſtolis, mendacij eſſe conuictum. Si enim Thuani, aut Epiſtolarum Perroni verba repræſentaſſes, fucus & falſitas omnium oculis patuiſſet.

Ianſ. c. 53. Spong.

Voet. lib. 3. ſect. 2. c. 10. Deſperat. Cauſ.

Excuſſi primo Io. Scoti & Durandi de Præſentia & Tranſſubſtantiatione corporis Dominici, loci, inquit Thuanus, *& rogatis Delegatorum ſententijs, pronunciatum eſt, Pleſſæum ratione inter Scholaſticos vſitatâ deceptum, obiecta pro deciſionibus in vtroque ſumpſiſſe.* In S. Chryſoſtomi & S. Hieronymi aliquot deinde locis, falſi iterum conuictus, *Non integros, quod fieri debuit, citatos eſſe.* B. Cyrilli locum productum, *Nuſquam apud eum repertum eſſe.* Theodoſij & Valent. Conſtitutionem, *aliquot verbis truncatam eſſe.*

Iac. Thuan. lib. 123. Hiſtor.

In duobus S. Bernardi locis, *Secundum Perroni cenſuram à Cancellario ex Delegatorum ſententia pronunciatum fuit.* Diſcuſſo deinde B. Theodoreti loco; *Pronunciatum à Cancellario, de ſimulachris Gentilium, non de imaginibus Chriſtianorum, intelligendum eſſe.* Soluta eo die diſputatio, poſtridie in morbum Pleſſæus incidit, *Deputati dilapſi, ipſe vt valetudinē curaret, Lutetiam venit, ac interiectis aliquot diebus, inſalutato Rege Salmuriam diſceſſit.* Sic eum ſeruauit Apollo, ne in quingentis illis SS. Patrum & Scholaſticorum citationibus, falſarius & adulter, in miraculoſo illo *De S. Euchariſtia* Libro probaretur, quod in ſe receperat Perronus. Quid iam opus ad veritatem iſtam oſtendendam Perroni Epiſtolas adire? Aliquot ſolùm verba ex Epiſtola ad Pomponium Belleureum Cancellarium

Digitized by Google

larium decerpam, vt Græcam tuorum Caluiniſtarum fidem & calumnias in interpolanda hiſtoria diſputationis illius Bellaquæenſis, inſpicias.

Voſtre lettre fermera la bouche aux ennemis de la verité, qui ont ſemé principalement ceſte calumnie contre moy, que i'auois fait bruſler les Actes imprimez, que ie vous auois preſentez à Lyon, & en auois ſuppoſé & fait imprimer d'autres: choſe plus fauſſe, que la fauſſeté meſme, comme vous, Monſeigneur, le ſçauez aſſez. Et poſtea in Epiſtola ad Card. Oſſatum narrat, *Que Mr du Pleſſis s'eſtoit auiſé de faire courir vn petit aduertiſſement*, & ipſum calumniæ eius fuiſſe auctorem, *N'ayant autres armes pour ſe defendre.* Card. Perron. Ambaſſad.

Cetera diſcipuli tui mendacia recenſendo, quid te meque fatigem? Puerilia etiam multa ſunt, & ætate ac vitulinâ ſapientiâ eius magis, quàm virorum auribus digna. Vt, quòd *per triplicem Papæ coronam, blaſphemè innuatur, ipſum Papam imperare Trinitati*: Quòd, *ſecundum principia Theologiæ noſtræ, Sacerdotes noſtri ſint maiores & digniores Chriſto; quia Aaron fuit dignior vitulo*: Quòd *S. Franciſcus ſit ſucceſſor Luciferi*: Quòd *S. Norberti flagitia falsò adſcribamus Tanchelino eius Antagoniſtæ, &c.* XVI. Ad

Valdè etiam velim ſcire, quo auctore narret, *P. Cottonum conſuluiſſe Diabolum, cùm in Scriptura nullum locum pro Purgatorio inuenire poſſet.* Quod tam verum exiſtimo, quàm *P. Cornelium à Lapide, vt inuidiæ & maleuolentiæ noſtrorum DD. cederet, relicto Louanio debuiſſe migrare Romam.* Cuius ſtultiſſimi mendacij nulla hîc memoria, nulla mentio (quod ſciamus) vnquam fuit. Alibi etiam, ne ſemel tantùm mentiretur, *Louanienſes*, inquit, *Cornelium à Lapide eiecêre, ne luminibus ſuis officeret.*

De me verò innumerabilia, nec in ſerijs tantùm, ſed nugis mentitur; vt quod de noſtris Hiſtoricis impudenter clamare ſolet, quando captus eſt intra retia veritatis (*Auctorati ſunt ad mentiendum*) re verâ cadere videatur in ipſum. Ait, me *præcipuas controuerſias, de quibus Ian-*

bus Ianſenius cum Voetio contendit, vt de Vocatione & Succeſſione Miniſtrorum, ſilentio pertinaci præteriſſe. Manifeſtum & impudens mendacium. Nam Criſis noſtra multis Capitibus, nihil fecit magis operosè & ex profeſſo, obſtruendo omnes aditus, quibus Lutherũ ad reformationem vocatũ contendebas; omnibus ſeculis abrumpendo ſucceſſionis catenam, & aranearum fila per quę doctrinę & Miniſtrorum ſucceſſionem ad Lutheri initia deducere volebas.

Lepidum argumentum, inquit alibi, *dignumque canthаro, & tubulo tabacario, & fritillo Fromondi.* Nec contentus, ſemel tam lepidè & ſplendidè mentitum eſſe, poſtea lepidum caput, *Pythagoram tabacarium* me vocat. Nec hîc etiam eius impudentia & ſcurrilitas ſtetit: *Criſis eius* ait, *vanior eſt fumo, quem (vt à varijs, qui eum Louanij nouerunt, audiui) ex fiſtula tabacaria, quando quid meditatur, patenti naſo & ore hauſtum emittit.*

Quis Sycophantæ iam iſti etiam iuratiſſimo, vnquã poſthac vllius rei crediderit. Tabaci enim bibulus adeò non ſum, vt fumum illum odio & deteſtatione proſequar. Si quis Louanij, aut vſpiam ſugentem me vnquam viderit, non abnuo, quin nauem ei tabaci plenam, & alteram hellebori onerariam addam, qua nauiget Anticyras, & tam diu ibi bibat, donec redeat ſanitas mentis, quam hæreſis & pertinacia ei ademit. De fritillo, perinde verum. Fritillum & aleas nunquã tractaui; neſcio, nec ſcire volui, ne tempus diſperderem, quod negotijs alijs, quæ me prolixè circumfluũt, ſemper nimis eſt velox & breue. Et tamen ſomniorum iſta vaniſſima non ab vno, ſed *à varijs audiuit*; nec ab ignorantibus, ſed *qui me Louanij nouerant.* Credite Dauentrienſes, Vltraiectini, Hollandi nouis iſtis Apoſtolis. Simplices & miſerabiles animæ, non duces, ſed ſeductores & agyrtæ ſunt; litterâ & ſacræ Scripturæ
Matth. 23. paginis ſpecioſè amicti, ſpiritu & ſenſu inanes: *ſepulchra*

chra dealbata, plena intus omni ſpurcitiâ & mortuorum oſſibus, pleni, quibus vndique perfluunt, mendacijs & calumnijs.

CAPVT X.

Ignorantia Ludimagiſtri Dauentrienſis.

QVi Ianſenium & me paſſim *fungos*, *boletos*, *cucurbitas togatas*, & omnium olerum ſui horti nominibus; qui Hollandiæ ſacerdotes, *truncos*, *ſtipites*, *aſellos*, *& plus quàm pecudes* appellat, quàm excelſi ingenij, ſublimis doctrinæ, profundæ ſapientiæ vir ſit, inſpiciamus. Omnia ſpecimina conuerrere, nimis prolixum, & totam pænè Deſperatiſſimam Cauſam reſcribere oporteat; pauca tantùm quædam, vt ex cauda vulpem coniectare poſſis. Deſperat.iſ. Cauſ.c 18.

I. Alicubi *fratrem* te vocaueram. Ipſe verò, *Quâ conſcientiâ*, clamat, *qua fronte*, *quo pudore Louanienſis Cenſor Voetium fratrem vocare poteſt: quem non pro ſimplici hæretico, ſed ſeductore, filio Gehennæ habet?*

Reſp. Eâdem conſcientiâ & fronte, qua Auguſtinus Maximinum Epiſcopum Donatiſtam, ſeductorem, &, ni reſipiſceret, Gehennæ quoque filium. Et hoc tam vulgare & protritum ſapiens tuus vitulus ignorauit? *Fratrem vt vocem*, ait Auguſtinus, *non te latet præceptum nobis eſſe diuinitus; vt etiam ijs qui negant ſe fratres noſtros eſſe, dicamus: Fratres noſtri eſtis.* Et alibi narrat, Donatiſtas, vobis ſimilitudine fratres, conqueri ſolitos, cum fratres à Catholicis vocarentur. Sed ineptè: *Fratres enim quatuor modis in Scripturis diuinis dicuntur*, ait S. Hieronymus: *naturâ, gente, cognatione, affectu*. Primo & nouiſſimo modo tu, ipſeque tam inimicè & caninè nos allatrans, fratres eſtis: *naturæ*, inquam, communione, & *affectu*; quo ſincero, Deus ſcit, vos proſequimur. S. Auguſt. Epiſt. 203. Contra Donat. poſt Collat. c. 35. S. Hierony. lib. 1. c. 8. contra Heluid.

 Velint

Digitized by Google

S. Auguſt. Pſal. 33. *Velint nolint*, ait iterum de vobis ſimilibus Auguſtinus, *fratres noſtri ſunt. Tunc eſſe deſinent fratres noſtri, ſi deſierint dicere, Pater noſter.* Et poſtea cum quidã talis obieciſſet, *Quid me quæritis ſi perij?* Reſpondet: *Quare quærerem, niſi quia periſti? Si ergo perij*, inquit hæreticus, *quomodo ſum frater tuus?* Reponit Auguſtinus: *Vt dicatur mihi de te, frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt.*

II. Sæpe inculcat, Papam apud nos *Eccleſiam Catholicam eſſe.* Nempe, ſicut caput eius eſt venter, pedes & totum corpus, quod regitur, & loquitur per caput.

III. Alibi, *Ingenuè fateor*, inquit, *me hactenus multa Papanorum DD. eorumque prima nota, necdum aſſequi potuiſſe: quid ſignificent myſtica hæc vocabula*, Sedes Romana, *pro quibus, tanquam pro aris & focis, ſine vlla miſſione certatur.* Nec mens illa capax etiam capere poteſt, quomodo dixerim, quòd illa poteſtas ordinaria ſupremi Iudicis, Sede va-

Criſ. c. 41. cante, *velut ſuſpenſa ſit, donec legitimo ſucceſſori imponatur.* Nam ſi Regis poteſtas Sede vacante *ſuſpenſa eſſet*, inquit, *deberet Reſpublica & Regnum illud, vſque ad electionem, aut ſucceſſionem legitimi Regis, deſtituta prorſus eſſe exercitio Regiæ poteſtatis.* Vnde, ſecundum nouam & Reformatam eius Iuriſprudentiam, ſuſpenſo per mortem Regis, Regiæ Maieſtatis Titulo, nudus Adminiſtrator, qui alieno, non proprio nomine rem gerit, Regni proprietatem habet & Titulum.

IV. *Auguſtinus errauit*, inquit, cùm cenſuit in Rep. per-

S. Auguſt. lib. 2. c. 4. de Ordin. mitti poſſe meretrices, *ne libidinibus omnia turbarentur.* Et cùm dixiſſem, licitum eſſe, *Minora mala permittere, nec maiora eueniant*: ipſe contrà, Scripturarum quas crepat, egregius Interpres, *Egregia ratio*, inquit, *& quæ carni admodum arridet, ſed quæ tamen è diametro aduerſatur Apoſtolo, qui ad Rom. cap. 3. docet, Non eſſe facienda mala, vt eueniant bona.* Ita acutus homo nihil diſtinguit inter *permittere*, & *facere*: vt iam mirum non ſit, Deum Caluiniſtarum omnia mala & ſcelera facere, qui omnia permit-

permittit. Et tamen acumen illud & ferus diſputator eſt, qui omnes Hollandiæ ſacerdotes ad certamen prouocare non ceſſat, & *quia non conſiſtunt in ſterquilinio ſuo,* inquit, *ſimul ac compellantur, verentur ne diſputare debeant, ſubducunt ſe è veſtigio, nec verbum proloqui audent.* Quis enim tam aſperâ fronte, vt auſit cum tam terribili vitulo coniſcare?

Inter pugnam quoque carnis, & lapſum, nullum diſcrimen videt. Probat enim, *ne milleſimum quidem* Clericorum, Monachorum, & Monialium noſtrarum, caſtitatem votam ſeruare; quia *non ſunt ſanctiores S. Hieronymo*: qui tamen de Eremi ſuæ tentationibus, Euſtochio fatetur, *Pallere ora ieiunijs, & mentem tamen deſiderijs æſtuare in frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortuâ, ſola libidinum incendia bullire.* Quaſi bullire ſit effundi, & æſtuare ſit comburi. Ac ne dicat, Clericos & Monachos noſtros ſine aduſtione nõ laturos tantum libidinis æſtum; ſciat, paucos & fortiores vt plurimùm eſſe, quos Deus incendijs illis Hieronymianis exercet; vt in bello pericula maxima non committuntur ignauis, ſed ſtrenuis. V.

Vt te nullibi, Ianſenium verò & me nullibi non allucinatos oſtendat, iterum inculcat, *Papanos docere furtum eſſe licitum*: quia Maldonatus &c. docent, *Pauperes non facere furtum, cùm preßi extrema neceßitate, vel cum vix alia ratione poteſt ſubueniri, rem alienam capiunt.* Id eſt, quando docent eſſe licitum, quia non eſt furtum, docent furtum eſſe licitum. O acumen! ô piſtillum! Dic ei ſaltem, vt ex Dialectica ſui Rami, diſtinguat furtum formale à materiali. Sed non capiet, vereor, tam ſubtilem philoſophiam; nam in alia longè magis palpabili: VI.

Homo biceps, inquit, *alius eſt ab illo, & iſto homine, nec poteſt communi definitione cum ijs comprehendi.* Putabam tamen, neminem hominem, propter quodcumque accidens, definitione hominis poſſe arceri. Aliàs poteris eadem VII.

ſubtili-

ſubtilitate, omnes camuros excludere, & ſolos aquilinos naſos definitione comprehendere. Et hinc colligit valde acutè: *Sic etiam Papa*, inquit, *quando Simoniacus, Magus* &c. *eſt, alius eſt à Petro, Clemente, Gregorio* &c. *nec ijs accenſeri, aut ſuccedere poteſt.* Quia, opinor, Dauentriæ & Vltraiecti, gibboſi impoſitum qui geſtant Pelion Oſſæ, filijque monſtroſi parentibus non ſuccedunt, vtunturque adhuc legibus Romuli & Lycurgi.

VIII. In iure quoque matrimoniali, quàm callidus & verſatus ſit, prodit alicubi, defenſans famoſum illud Lutheri, ad coniugem iratam & in debiti negatione pertinacem: *Si tu nolis, alia volet. Si domina nolit, veniat ancilla. Quid autem innuere voluit Lutherus?* ait tuus. *Nihil aliud quàm Apoſtolus* 1. *Cor.* 7. *v.* 15. *Ob malitioſam nempe deſertionem vxoris, aut alterius coniugis, licere innocenti aliam conditionem quærere.* Ergóne apud vos licet, matrimonio conſummato, ob pertinaciam illam vxoris, eam repudiare, & aliam viuenti & ſpiranti ſuperinducere?

Luther. Ita, inquit Lutherus, *Repudia eam, & in vicem Vaſthi, Eſther ſurroga, Aſſueri Regis exemplo.* Nam vt Lutheri Gloſſator, & hyperaſpiſtes tuus addit: *Si reluctetur vxor, nullumque locum aut precibus, aut minis facere velit, pro deſerta eſt habenda.* Et hæc quidem tam putida & inepta dicit 1. Cor. 7. v. 15. Apoſtolus? Scripturam, Scripturam clamant & vbique cuculant iſti coccyces, ac mox pro Scriptura, ſub cortice eius ſomnia ſua obtrudunt & hæreſes. Quod enim Apoſtolus apertè, de coniuge infideli, volente ſeparationem & diſceſſum à fideli, hoc ad fidelem extendunt, quæ copulam maritalem capitosè & pertinaciter renuit.

Vbi ergo, egregij Scripturæ crepides, lex illa à Chri-

Matth. 19. ſto lata: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet?* Pudentior & timidior Caluinus: *Hodie tametſi*, inquit, *nobis*

Caluin. 1. Cor. 7. v. 15. *ferè ſimilem rationem cum Papiſtis, quidam eſſe volunt* (vt mariti Caluiniſtæ, opinor, vxorũ Papiſticarum vincula

abrum-

Digitized by Google

abrumpere valeant:) *prudenter tamen*, ait, *conſiderandum, quid interſit; ne quid temerè tentetur.*

Alibi, vt Caſibus conſcientiæ Magicis perinde operam dediſſe intelligeremus: *Qui inſtrumenta Magorum exhorreſcunt*, inquit, *nulla ratione à Magia excuſari poſſunt.* Cauſam paulò antè dixit, *Quia naturâ ſuâ nullam ſupernaturalem vim habent.* Itáne vir intrepidus, nihil exhorreſcit, niſi *vim* nocendi *habeat ſupernaturalem?* Nos Catholici magis timidi ſumus, & inſtrumenta illa dæmonis exhorreſcimus, vt latronum ſicas, & hoſtium bombardas, quæ nec ipſa vim vllam ſupernaturalem habent. Ecquænam verò hîc pacti Magici, aut familiaritatis cum dæmone ſpecies: ſigna & inſtrumenta, quibus hoſtis noſter nocere ſolet, auerſari & exhorreſcere? IX.

Dixeram in Criſi, *Potuiſſe fieri (& Theologos quoſdam noſtros affirmare) vt presbyteris Ordinatis ſemper olim daretur Iuriſdictio, & gregi alicui præficerentur.* Poſtea verò contra te, qui volebas Lutherum; eo ipſo quo Ordinatus Presbyter, accepiſſe Miſſionem, addidi: *Non tamen per ipſam ſacram Ordinationem tribuebatur Iuriſdictio, ſed per Miſſionem, quæ Ordinationem comitabatur.* Ad hæc, quaſi vinculis manifeſtę contradictionis illaqueatus eſſem, exclamat tuus Dialecticus: *Si hæc*, inquit, *non ſint contradictoria, in poſterum defendam, nulla in rerum naturâ contradictoria dari poſſe.* X.

Itáne è Lyceo ad Scholam Antiſthenis transfugiet, niſi hæc ſint contradictoria: *Presbyteris in Ordinatione ſemper dabatur Iuriſdictio*; & tamen, *Non per ipſam Ordinationem ea dabatur, ſed per Miſſionem, quæ Ordinationem comitabatur?* Niſi ridere bliteam fatuitatem hominis magis luberet, ego bile incenderer, nos ab iſto pepone, *funges & cucurbitas* itam ſæpe, ſine vlla ſimilitudine veri appellari. Itáne enim, non poteſt Miſſio comitari Ordinationem, niſi eadem ſit? imò verò, niſi diuerſa eſſet, non comitaretur?

K Nemo

Nemo enim ſuiipſius comes eſt. Itaque nullus omnino in illis verbis cōtradictionis eſt color; non maior, quàm in iſtis: Rhetor Dauentrienſis cùm in prandio cibum ſumit, etiam bibit; & tamen, cibus non eſt potus. Dic ergo illi, Libros Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας diligentiùs legat; & vt faciliùs intelligat, exemplo contradictionis, ex proprijs ſcriptis, ſatis euidenti eum iuuabo.

Deſperatiſ. Cauſ. c. 47. Alibi enim, anguſtijs argumenti compreſſus: *Non tantùm aliqua particula Scripturæ lux eſt*, inquit, *ſed tota quanta, quanta eſt*: probans eam vndique eſſe claram. Vnde, *ſi ea lux eſt*, inquit, *& lucet videntibus, neceſſum eſt hoc agnoſcat, aut fateatur cæcitatem ſuam Ianſenius.* Alibi verò, *Dogmata, non totam Scripturam claram eſſe*, dicit; rogatque,

Cap. 23. *Quis enim ex noſtris, vnquam negauit, ſacram Scripturam in multis locis eſſe obſcuram & difficilem? Si Voetius, ſi quis Reformatorum Doctorum vnquam aut dixerit, aut ſcripſerit contrarium, cauſam dabo.* Da ergo, fatue, tandem totam cauſam, & litem finiamus; tu enim ipſus id dicis & ſcribis.

Nónne autem hęc aperta & diſerta eſt contradictio: *Scriptura tota quanta, quanta eſt, clara eſt*; &, *Non Scriptura tota, ſed dogmata ſaltem Scripturæ clara ſunt?* Quanquam de dogmatibus, etiam falſum eſt. Nam multa non ita lucent, quin ingenia hęreticorum, ex obſcurioribus alijs Scripturæ locis, poſſint illis tenebras offundere. Sic enim ab Arianis, Pelagianis, Neſtorianis &c. præcipuis fidei noſtræ dogmatibus olim factum: vt, niſi Eccleſiæ interpretantis acceſſiſſet auctoritas, adhuc hodie in quęſtione & diſputatione eſſent. Quo enim loco Eraſmū

Iac. Verheiden in Elog. inter eruditos & ingenia ponis? Nimirum, *Eius doctrinam, curas, labores, & ingenium doctiſſimus, laborioſiſſimus, ingenioſiſſimus quiſque non ſine ſtupore admiratur*, ait quidā veſter. Hic tamen eruditione & ingenio tantus, non pauca Scripturæ loca de primarijs fidei Chriſtianæ dogmatibus, quibus SS. Patres aduerſus Arianos &

Pelagia-

Digitized by Google

Pelagianos pugnauère, tam parùm ſplendêre putauit, vt in alios ſenſus probabilùs accipienda cenſeat: vnde apud multos in Arianiſmi & Pelagianiſmi ſuſpicionē venit. Vide quæ ei obijciunt Leus, Bedda, Stunica, Caranza, ceterique Antagoniſtæ eius. Vide quoque, & collyrium ſume, ne doleas oculis, quid de modo interpretandi Scripturas Caluiſtico, Philippus Nicolaus, Lutheranus; qui mira huius artis ſimilitudine, veterũ Arianorum fratres vos eſſe, egregijs exemplis demonſtrauit. Phil. Nicol. lib. 2. de Regno Christi.

Vt nihil eum neſcire, nautæ & Bataui omnes ſcirēt, etiam in Caſus & Regulas Monachorũ acumen ſuum Rhetor Dauentrienſis penetrat. Et vide, vt equis albis de me triumphat; vt mihi pænè verum, quod Eraſmus in Antibarbaris ſuis, iam eſſe videatur: *Homines ignorantiâ potiùs, quàm eruditione fieri inſolentes. Pudet me D. Doctoris ignorantia*, ait magnus tuus ſcientiæ Doctor, *qui tam hoſpes eſt in Theologia domeſtica.* Quæ verò iſta Theologia, in qua ſic hoſpitor? Nempe, quia dixi, *Apud Catholicos inſolens eſſe, ſinere impunè Monachos, in veſte ſeculari extra clauſtrum tam diu vagari, ſine licentia ſummi Pontificis, & Medicam artem (quod fecit Bolſecus) exercere*: aduerſum te nempe, qui Bolſecum, vitæ Caluini Scriptorem, aiebas Monachum Apoſtatam fuiſſe, ac inteſtabilem. Dauentrienſis verò Caſuiſta ignorantiam meam ſic caſtigat: *An non omnes Caſuiſtæ & Canoniſtæ*, inquit, *docent, profeſſum Regularem, ſimulac habitum abijcit, fieri ſecularem?* Ex quo antecedente elicit, Licuiſſe Bolſeco, qui cucullum & habitum abiecerat, impunè ſine licentia Pontificis, extra clauſtrum vagari, quia ſe fecerat ſecularem. XL. Eraſ. lib. 1. Antibarbar. Deſperatiſ. Cauſ. c. 18.

Ita me Deus, obſtupeſco, vbi cum tam bruta ignorantia tam effrontem audaciam & impudentiam coniunctam video. Pudet illum ignorantiæ meæ; pudet me Belgij mei, quod tales maculas & propudia mor-

Digitized by Google

Caiet. talium poteſt gignere & alere. Et vt impudentiæ ſuæ culmen imponat: *Vide Caietanum*, inquit, *in Summa, Verb. Apoſtaſia: Silueſtrum in Summa, Verb. Apoſtaſia. n. 3. in fine.* Quid autem Caietanus? Hoc tantùm: *Apoſtatæ à Religione*, inquit, *excommunicati ſunt ob habitus dimiſſionem, & in damnationis ſtatu perſeuerant, etiamſi ab excommunicatione abſoluantur, donec ad Religionem regrediantur.* Silueſter

Silueſt. verò palam loquitur, non de Monacho profeſſo (non enim eſt tam vecors) ſed de *Clerico prima tonſura: qui eam poteſt*, ſine apoſtaſia & peccato *deſerere de iure & conſuetudine. Quia tali*, inquit, *contrahere licet, & conſequenter ſe ad ſecularia deſideria conuertere.*

Nemo igitur, nemo Caſuiſtarum aut Canoniſtarum eò ineptiæ venit, vt doceret, Monachum abiectu cuculli ſecularem fieri, & Superioris ſui obedientiam ſic exuere, vt non poſſit retrahi. Imò debet. Abbas enim *& quilibet Conuentualis Prælatus requirere debet Monachos fugitiuos, & ad clauſtrum reducere*, ait Silueſter ibi n. 5. quē cæcus & miſerabilis tuus diſcipulus auſus eſt in contrarium, impudenti mendacio adducere.

Quid plura arrogantis eius ignorantiæ ſpecimina oſtentem? Totus Liber plenus eſt, & re verâ in delectu labor mihi, & tœdium. Cum hominibus enim verè doctis & ingenioſis quotidie hîc nobis iucundus congreſſus & de diuinis humaniſque diſciplinis velitatio. Iſtis paſcimur, ad illiberales veſtras rixas & ſycophantias ægrè deſcendimus. Pauca tamen etiam Dialecticę Reformatæ, in qua ſic ferocit, exempla inſpicere fortaſſe non iniucundum erit.

CAPVT.

Digitized by Google

CAPVT XI.

Dialectica Ludimagiſtri Dauentrienſis.

IGnorantia altiorum diſciplinarum, Theologiæ & Iuriſprudentiæ facilè iuuentuti eius condonari poteſt, Dialecticæ non perinde. Scientia enim iſta puerorum etiam eſt, & Rhetorica quam profitetur; ſine ea corpus eſt ſine neruis, arena ſine calce.

Inſpice igitur noui Chryſippi tui acumen.

Flagellantes quoſdam, qui *non curabant de ſacramento confeſſionis, & ſub velamine pœnitentiæ, furta, ſtupra, adulteria, & innumera mala committebant*, vt narrat Io. Gerſon, vocaui hæreticos: Ergo *Louanienſis fungus* Petrum Damianũ hęreticum facit, infert pepo Dauentrienſis; quia cc. annis ante exortam ſectam Flagellantium, Per. Damianus fauit *laudabili vſui, vt pœnitentiæ cauſâ fideles verberibus ſeipſos afficerent*, vt ad An. M. LVI. narrat Baron. Deinde, Ergo etiam illi, inquit, ſunt hæretici, *qui loris & virgis quotannis* Bruxellæ, & alibi in hebdomada ſancta *ſe cruentant.* Quaſi flagellatio illicò hæreticum faciat. Conſequentia igitur eſt huic ſimilis: Canis noſter currit, ergo eſt vitulus. Hæreticus enim, & flagellans ſe mutuo excedunt, vt vitulus, & currens. Quod de S. Paulo etiã adjicit: *Quamuis* inquit, *profiteatur* 1. *Cor.* 9. *v.* 27. *ſe contundere corpus ſuũ, & in ſeruitutem redigere; ita tamen illuminatum non fuiſſe, vt cognouerit lora & virgas eſſe parandas, ijſque lumbos & ſcapulas conſcindendas:* velim ab eo intelligere, ex qua Scriptura id didicerit. Nam *contundere*, ſeu *caſtigare corpus*, Apoſtolus poſuit pro, *ſeruiliter exercere*, inquit veſter Caluinus: flagellationem autem olim in pœnis ſeruorum fuiſſe ſcimus. Vnde igitur ei conſtat, Paulum nunquam flagellum rapuiſſe, quando ſtimulus carnis ſuæ, angelus Satanæ nimis

I. Gerſon Tract. contra ſectam Flagell.

Digitized by Google

eum colaphizabat? Fatetur enim Caluinus, *Veteres Monachos, cum huic præcepto parêre vellent, multa diſciplina exercitia excogitaſſe. Dormiebant enim,* inquit, *in ſcamnis, cogebant ſe ad longiores vigilias, fugiebant lautitias.* Addere potuit flagella, & cilicia.

Caluin. 1. Cor. 9.

II. Conſequentia quoque iſta priori ſoror eſt: Fuerunt olim quidam hæretici Nudipedales; ergo Fratres Minores & Capucini hodie ſunt hæretici. Quam euidenter tuus implicat in iſtâ ratiocinatione: *Vide ſis, Cenſor,* inquit, *quomodo hæreticorum numero eximas Fratres Minores, & Capucinos, aliosque qui ex Monachis detectis pedibus incedunt. Enimuerò in primitiua Eccleſia, hæreticis accenſos fuiſſe Nudipedales, docet Auguſtinus, Hæreſi* LXVIII.

Videamus etiam Auguſtinum, nam paucis verbis magnum & vtile dogma aduerſus quendam errorem veſtrum, nobis ſuggeret. *Eſt alia hæreſis nudis pedibus ambulantium,* inquit; *eò quòd Dominus dixerit ad Moyſen, vel ad Ioſue: Solue calceamentum, de pedibus tuis. Et quòd Propheta Iſaias nudis pedibus iuſſus fuerit ambulare. Inde ergo hæreſis eſt, quia non propter corporis afflictionem ſic ambulant, ſed quia teſtimonia diuina taliter intelligunt.* Audis, falſum eſſe, quod tu diſcipuluſque tuus toties replicatis: Neminem pro hæretico habendum, niſi qui errat in Articulis fidei fundamentalibus; ideoque Lutheranos non eſſe vobis hæreticos? Nam ſolus perperus intelle-ctus Scripturæ iſtius, *Solue calceamentum &c.* per modũ præcepti generalis, pertinax, & contra Eccleſiæ vniuerſalis conſenſum, Nudipedales hæreticos fecit. Vnde Lutherani magis ſapienter & Theologicè, vos hæreticos, nec ſimplice hæreſi, ſed plurium collunie infectos dicunt. *Auguſtanæ Confeſſioni nunc aſſiliunt, nunc ab eadem reſiliunt,* inquit Phil. Nicolaus, locuſtis Apocalypticis vos aſſimilans, *ſacram Scripturam ſaltu leuiſſimo, ad fucum deteſtandis hæreſibus ſuis inducendum, peruagantur. Si teſtimonijs,* addit, *Scripturæ ſe premi, & errores ad viuum*

S. Auguſt. Hæreſ. 68.

Exod. 3. Ioſ. 5.

Phil. Nicol. lib. 2. de Regno Chriſti.

retegi ſentiant, perpetuò quærunt, & quærunt; nunc ad hæc, nunc ad iſta quæſtionibus Quodlibetarijs tranſuolantes (ô bellè, mi Nicolae, & quàm graphicè locuſtas & cicadas iſtas nobis depinxiſti!) *ſemper diſcentes, vt Apoſtolus ait, nec vnquam ad cognitionem veritatis venire valentes.* Addamus & hoc etiam: *Locuſtæ Caluinianæ*, inquit, *immenſos tractus permeant, longè lateque per Heluetios, Galliam, Belgium, Angliam, Scotiam, Daniam, Germaniam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, Tranſiluaniam vagantes, & ſegetem Euangelij teſtimoniorumque Scripturæ ſacræ, contactu ſuarum gloſſematum & deprauationum ſophiſticarum venenatiſſimo, peſtilenter adurunt.* Vnde, ſe ab Eraſmo Sarcerio Luthærano, *inter deteſtabiles hæreticos locari*, nequidquam cōqueritur Caluinus. 2. Tim. 3. Caluin. Admonit. vlt. ad VVeſtphal.

Ex illis Auguſt. quoq; verbis didiciſti, mi Voeti, quā diſcipulus tuus pueriliter, Nudipedalibus hæreticis Fratres Minores & Capucinos accenſeat; quaſi, *non propter corporis afflictionem ſic ambularent*, ſed iſtud, *Solue calceamentum &c.* exiſtimarent eſſe diuinum præceptum, & pertinere ad omnes.

III. Deinde, Iul. Scaliger, poëmata quædam cantat in *pigros Monachorū ventres* inquit; ergo *Euangelicum* (id eſt, Caluiniſticū) *nectar imbiberat.* Quaſi verò nemo Catholicus poëta vnquam ſimile cantillauerit. Scis enim omnia genera ſomniorum illi genti naſci in bicipiti Parnaſſo. Mirum autem, Ioſepho Iulij filio & Caluiniſtæ, cùm ſcriberet vitam patris, non veniſſe in mentē huius paternæ Reformationis. Et vt te diſcipulumque tuum falli intelligas, præter veterem meam coniecturam ex Orat 11. in Eraſmum, legē Exercit. V. eius in Cardanum. *Vnum corpus naturale*, inquit, *non poteſt eſſe in duobus locis.* Ac poſtea: *De naturali corpore ſermo eſt, non de ſupercæleſti Synaxi: poteſt enim in pluribus illud eſſe.* Eſtne hoc Reformatum & Caluiniſticum? Iul. Scal. Exer. 5. in Card. §. 6.

IV. *Remigius Monachus Altiſiodorenſis*, inquit, *circa Annum* DCCCXC.

D.CCC.XC.*credidit per Chriſtum ſolum ſe iuſtificari & ſaluari: ille mihi mons, ille refugium*; ergo, *in fundamentalibus dogmatis* Caluiniſta fuit. *Quid enim*, inquit acutus homo, *apertiùs dici poſſet contra merita bonorum operum, & incertitudinem fidei?* Quaſi non omnes, cum Remigio illo idem quotidie clamemus, & tamen bona opera in Chriſto facta, non reſpuamus. De *incertitudine fidei*, quod addit, ſolenne mendacium eſt. Fidem diuinam omnes humanas diſciplinas, etiam euidentiſſimas, certitudine ſuperare docemus; non tamen idcirco fide diuinâ nos eam habere credere debemus. Sed hæc ſubtiliora ſunt, quàm intelligi poſſint à Dauentrienſibus pultiphagis.

IV. *Radulphus Flauiacenſis, circa An.* D. CCCC. X. *apertè dicit*, inquit, *Libros Tobiæ, Iudith, & Machabæorum non habere perfectam auctoritatem*; Ergo noſter fuit. Eâdem Dialecticâ Anabaptiſtæ, & tot alij diuerſi à vobis errones

Naz. (ψεῦδος γὰρ πολυσχιδὲς)) ſibi eum aggregabunt. Multi enim vobiſcum errant, reſpuentes Librum Iudith, quē tamen Synodus *Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum computauit*, & Libros Machabæorum, *qui ab Eccleſia inter diuinorum voluminum annotantur hiſtorias*, ait S. Hieronymus.

Illuſtris altera & planè ἀτόλμως Cleanthis conſequen-

VI. tia eſt: *Radulphus ſcribit, Singulare Fidei firmamentum in Scripturis haberi*. Ergo, *non agnouit auctoritatem Eccleſiæ à Domino Deo* (puer, λάχανον, & beta es, mi Ludimagiſter) *Papâ dependentem*. Quaſi qui agnoſcit Scripturam, debeat abnegare interpretem.

VII. Ex aureis iſtis S. Gregorij verbis: *Quis fidelium habe-*

S. Gregor. *re dubium poſſit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vo-*

lib 4. cap. 58 *cem, cælos aperiri, in illo* IESV *Chriſti myſterio Angelorum cho-*

Dial. *ros adeſſe; ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus iungi, vnum quoque ex viſibilibus, atque inuiſibilibus fieri?* colligit ſubtilitate penè inenarrabili, S. Gregorium Caluiniſtam

Sacra-

Sacramentarium fuiſſe. *Rectè* enim, inquit, *& prorſus ad mentem noſtram.* Quia nempe, vt vmbra Caluiniſtica corporis Chriſti in manus Miniſtri veniat, debent *cæli aperiri, & chori Angelorum* aduolare, & *terrena cæleſtibus iungi.* Quis non iuret Heraclitos iſtos atrâ bile inſanire, aut Democritos Mundo illudere? Quænam deinde apud vos obſecro, *immolationis hora*, qui immolatione & ſacrificio caretis? Quænam *vox ſacerdotis*, qui nec ſacerdotem, nec vllam conſecrationis formam agnoſcitis? Poteritne etiam vlla impudentia, præcedentia iſta S. Gregorij verba ad inanem Cænæ Caluiniſticæ figuram attrahere: *Vnigenitus in ſemetipſo immortaliter viuens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacra oblationis immolatur: eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutem partitur, eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur?* Si Dialectica tua id valeat, non abnuo, quin compitis omnibus & tectis candidiſſimâ niue albentibus, colligere cum Anaxagora poſſis, niuem atram eſſe.

Sic alibi, Lutheranos reclamantes & renitentes ad Sacramentarios ſuos conatur pertrahere. *Lutherani*, inquit, *verè Chriſtum in cæna nobiſcum præſentem eſſe fatentur.* Valde ſcilicet, *vobiſcum*: qui vmbram ſolùm fatemini, vbi ipſi rem ipſam ponunt. *Sacramentarij, Arianorum adorantes veſtigia*, inquit Phil. Nicolaus, Doctor Lutheranus, *ne ab Imperij Statibus vllam ſuſtineant proſcriptionem, eandem nobiſcum confeſſionem iactitant; quam tamen ad ſuarum opinionũ placita inflectunt & macerant: quo externæ tranquillitatis commodo, vnà cum noſtris Eccleſijs perfruantur, at interim ſemper ſuam impuriſſimarum opinionum & paradoxorum crapulam, per vniuerſam Germaniam exhalent & diffundant.* Et de cetera fidei doctrina, tam bellè Gomariſtis cum Lutheranis conuenit, vt Hugo Grotius queratur: *Synodum Dordracenam hoc malum attuliſſe; quòd ſpes omnis redeundi in vnum corpus cum illis qui Auguſtanam formulam*

Phil. Nicol. lib. 2. de Regno Chriſti.

H Grot. eiſ. Apolog.

Digitized by Google

mulam ſequuntur, per hanc Synodum ſublata ſit; quia eius formulæ ſectatores planè exhorreſcunt quædam placita, quæ huius Synodi definitionibus, tanquam communia Reformatarum Eccleſiarum dogmata, oſtentantur.

VIII. Alibi probat à pari (Lutherum parians Chriſto) licuiſſe Luthero familiariter confabulari cum dæmone, quia *Seruator noſter Matt. 4. cum Diabolo vltro citroque collocutus eſt. Et Apoſtolus Paulus*, inquit, *omnium hominum deploratiſſimus eſt habendus, quòd ne poſt tertiam quidem deprecationem liberari potuit ab Angelo Satan, qui eum ἐκολάφιζε.* 2. Cor. 12. Nempe, quia, opinor, Paulus ſolitus colloqui, & dialogos cum ſuo Angelo Satanæ componere, vt Lutherus cum familiari dæmonio.

IX. Bellar. lib. 2. cap. 15. de Effect. Sacram. Quia Bellarminus dixerat: *Si tollatur auctoritas præſentis Eccleſiæ & præſentis Conc. Tridentini, in dubium reuocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides Chriſtiana.* Quia videlicet, tanta debet eſſe huius Concilij, quanta veterum omnium Conciliorum auctoritas: vnde ſi hoc contemnitur, nihil cauſæ eſt, cur veteribus Concilijs ſua auctoritas retineatur. Hinc verò calidè & cum clamoribus Dialectica Dauentrienſis infert: Ergo *Papana factio ante Conciliabulum Trident. ſecundum Bellarminum, fuit domus ſine fundamento. Nam ſi dependet ab eo,* inquit, *ſine eo etiam immota ſubſiſtere non potuit.* Simile prorſus argumentum: Si Schola Dauentrienſis, nuper ouo excluſa clauderetur, aut euerteretur, omnes Prouinciarum fœderatarum Scholæ, eadẽ ratione deberent euerti; non enim plus iuris ad ſtandum iſtæ, quàm illa, habent: Ergo nuper, ante Scholam Dauentrienſem, Leidenſis, Amſteldamenſis, Groningenſis, Franekrenſis, ceteræque Academiæ, aut Gymnaſia ſine fundamento, & tibiæ ſine talo erant.

Et tamen egregius iſte lanio eſt, qui plumbeis iſtis cultris iactat ſe Papatum excoriaſſe: *Tu*, inquit ad te Præceptorem ſuum, *iugulum præcidiſti Papatui, ego pellem ei detra-*

ei detraho. Suadeo ei, togam ſuam nocturnam pelle iſtâ ſuffulciat, tu verò in macello Vltraiectẽſi carnes venales ſuſpendere potes. Miſer Papatus, qui mille & ſexcẽtis annis, tot tyrannorum gladios euaſiſti, vt in fine ſeculorum in duorum lanionum cultros incideres!

Sed Dialecticum acumen tui excoriatoris præcipuè in hoc argumento ſe prodit. x.

Dixerat Ianſenius ex communi Catholicorum DD. ſenſu, *Succeſſionem perſonarum eſſe notam veræ Eccleſiæ, ſubiecto ſuo latiùs patentem, ex qua inuictè concludimus negatiuè, ſicut ab omni genere ad ſpeciem: Vos caretis ſucceſſione, ergo caretis verâ Eccleſiâ.* Et vt clariùs lucem & vim argumenti cerneres, dixeram hoc eſſe ſimile: *Voetius non eſt quadrupes, ergo non eſt equus.* Nam ſucceſſio perſonarum, per quas doctrina à prioribus ſeculis in poſteriora traijcitur, eſt accidens quoddam veræ Eccleſiæ; ſed latiùs patens, quàm vera Eccleſia; cum in Eccleſijs quibuſdam malignantium ſimilis etiam ſucceſſio reperiatur. Non ſequitur ergo affirmatiuè: Eſt ibi ſucceſſio perſonarum; ergo eſt vera Eccleſia: conſequentia enim nulla eſt, à genere non diſtributo ad certam ſpeciem. Sed negatiuè ſequitur inuictè: In Eccleſia Caluiniſtica non eſt ſucceſſio perſonarum, per quas doctrina Chriſti & Apoſtolorum per ſecula præcedentia defluxit ad Caluinum; ergo illa non eſt vera Eccleſia.

Ianſ. c. 54. Spong.

Quid ad hæc Dauentrienſis philoſophia? *Si euicerit,* inquit, *ſucceſſionem eſſe genus Eccleſiæ, procedet Ianſenij argumentum. Sed eſt tantùm accidens commune.*

Sed ſcire, mi puer, debuiſti, in *Loco à genere*, id omne genus appellari, quod latiùs patet. Succeſſio autem eſt accidens quidem, ſed latius ſuo ſubiecto. Et vt puerilem inſcitiam magis publicet: *Quare*, inquit, *ſi valeat hæc reſponſio, valebit etiam hæc conſequentia: Æthiops non eſt albus, ergo non eſt homo.* Quaſi, *albus*, latiùs pateat,

 quàm

quàm homo, ſicut ſucceſſio latior eſt; quàm Eccleſia vera. Redi, redi ad ferulam, mi puer, & vbi elementa didiceris, incipe viris inſultare.

Nec hic ſtat infans eius imperitia, ſed audet & interrogat: *Quæſo, dic mihi, Fromonde, per quam regulam Logices, à ſucceſſione negatiuè tantùm, non etiam affirmatiuè argumentari licet?* Per regulam, mi puſio, qua negatiuè ſequitur: *Aſinus non eſt bipes, ergo non eſt homo.* Non verò affirmatiuè: *Gallus gallinaceus eſt bipes, ergo eſt homo.* Id eſt, à genere diſtributo ſequela recta eſt; claudicat, à non diſtributo.

Pergit tamen philoſophari. *Succeſſio*, ait, *aut eſt accidens commune aut proprium. Si proprium, & affirmatiuè & negatiuè ab ea progredi licet.* Noua prorſus & Reformata Dialectica. Quid ſi enim accidens proprium latiùs pateat ſuo ſubiecto. vt *bipes* homine; ſequeturne affirmatiuè: *Gallinaceus eſt bipes, ergo eſt homo?*

Scito igitur (& porrige Mineual) ſiue accidens ſit proprium, id eſt quarti prædicabilis, ſiue commune, id eſt quinti; ſi ſit latius ſuo ſubiecto, ſemper procedendum eſſe ab eo (per negationem, vel aliter) diſtributo, ad ſubiectum, Vnde etiam ſi ſucceſſio foret accidens commune, modò ſimul ſit magis commune, conſequentia negatiuè inuicta erit. Nec eſt ſimile, quod ſtupor tuus addit: *Quidam paries non eſt albus, ergo non eſt paries.* Non enim magis commune eſt, ſed excedit & exceditur *albus* à *pariete*.

Sic ex Theologica Cathedra oportet interdum ad nuces puerorum deſcendere, quò nos inſcitia & ſtupor hæreticorum vocat: Et tamen, quaſi re ſapienter & egregiè geſtâ: *Mirare verò Lector*, inquit, *vertiginem Papanorum Sophiſtarum.* Tuam potiùs & meritò miretur, mi vitule. Ego enim certè præ admiratione pænè ſaxeus fio, dum tantam confidentiam, ſuperbiam, arrotiam cum tam puerili & ſupinâ ignorantiâ coniunctam cerno.

Terret

Terret nos alibi, apodictici argumenti mentione, quo demonſtrat ſe *fidem orthodoxam habere*. Quis nõ crederet, iam debellatum, & tormento iſto demonſtrationis, Eccleſiæ Catholicæ muros iam iam ſternendos eſſe? XI.

Non præſupponimus inquit, *ſed probamus, fidem orthodoxam penes nos eſſe. Et quidem apodictico hoc argumento: Quia fides noſtra examuſſim Scripturæ conuenit*. Itaque demonſtratio, ſeu potiùs enthymema eius, hoc eſt: *Fides noſtra examuſſim Scripturæ conuenit; ergo eſt orthodoxa.* Præclara omnino apodixis! Imò clariſſima petitio principij. Hoc enim tanquam certum, euidens, & confeſſum ſumit, quod eſt conſequens totius diſputationis; nempe, An fides veſtra nouitia examuſſim Scripturæ, iuxta verum & Spiritus ſancti ſenſum, conueniat; An noſtra potiùs, quę vetuſta eſt, & Scripturam non ex cerebro ſuo, ſed ex veteris Eccleſiæ & SS. Patrum aſſenſu, explicat.

Vnde demonſtratio diſcipuli tui, ne quidem demõſtrationis fucus eſt, qui imprudentem & puerum fallere poſſit; tam palàm & expoſita omnium oculis vanitas & futilitas eius eſt. Oportet enim, ſi neſcit, in antecedente legitimæ demonſtrationis aſſumere omnia certa & confeſſę veritatis, & inferre inde conſequens, quod cum aduerſarij theſi pugnet. Equus ergo conductitius tantùm eſt, quem & Lutherani, & Anabaptiſtæ, & Stancariſtæ, ceterique diſſentientes à vobis hæretici poſſint inſilire. Omnes enim pari vobiſcum iure aſſumere valent, & reapſe faciunt: *Fides noſtra examuſſim, &c.*

Sed *diſputemus ergo de ſenſu Scripturæ*, clamat identidem tuus diſputator.

Quid vultis adhuc diſputare? Centies millies iam factum. Omnes libri diſputationum iſtarum ſtrepitu pleni ſunt. *Appenſi eſtis in ſtatera, & inuenti eſtis minus habentes.* Caluiniſtæ norunt inſtar *mulierculârum flere, gemere,* Phil. Nicol. lib. 2. de Regno Chriſti.

mere, plorare, ait Doctor quidam Lutheranus, *ad Synodum prouocant, & (ac ſi nunquam eſſent auditi) lugubriter expetunt, vt audiantur, priuſquam ipſorum doctrina anathemate feriatur.* Ac interea locuſtæ iſtæ capillitio muliebri &

Apoc. 9. lugubres, *Hæreſes ſuas*, inquit, *vario Scripturæ veteris & noui Teſtam. prætextu, inſtar pompoſarum virginum comunt, poliunt, ornant, inungunt, ceruſſant, pingunt, & tanquam fuco illinunt, vt Eccleſiæ orthodoxæ, virginiſque ſoli Chriſto deſponſatæ encomium aucupentur.*

Sed non acquieſcimus, inquies, veſtris argumentorum noſtrorum ſolutionibus. Quis id neſciat? Miraculum, imò impoſſibile eſt, hæreticum eſſe, & non pertinacem. *Facillimè conuinci poteſtis, etſi difficile confiteri*, inquit Parmeniano Auguſtinus, & in omnes hæreticos cadit. Ideò Propheta *perdices* vos appellauit. *Perdix enim nimis contentioſum animal*, ait Auguſtinus, *notum eſt, quanta auiditate contentionis currat in laqueum. Non enim diſputare amant hæretici, ſed quoquo modo ſuperare impudentiſſimâ pertinaciâ.* Fractis enim circa vos argumentis & rebus, ſolâ animoſitate & pertinaciâ ſuſtentamini. Sed id nobis non probas, dicetis. Probamus alijs, non tam pertinacibus & cæcis. Deſperatiſſima iam dudum veſtra cæcitas eſt. Cùm ſolem Meridianum vobis oſtenderimus, lucernam Diogenis adhuc ſine fine poſtulabitis, & ne ſic quidem veritatem in publico ambulantem inuenietis.

S. Auguſt. lib. 2. contra Parmen.

Ierem. 17. S. Auguſt. lib. 13. c. 12. contra Fauſt.

XII. Reperit etiam Dialecticus tuus, valde ſubtiliter, ipsâ facilitate faciliorem modum expediendi ſe ab omnibus argumentis *Loci ab Auctoritate*, per vnum verbum, *Mentitur, Diabolus, Calumniator, Pediculoſus eſt* &c. nec homo liberrimus, vllius Hiſtorici auctoritate vult teneri. Inclytus I C. Franciſcus Balduinus, ſi quid de moribus familiaris ſibi Caluini detexit, *eſt nebulo*; Bolſecus *porcus*; Bartelierus, *flagrio*; Brerleus, *mendaciſſimus*; Campianus, *bipedum blaſphemiſſimus*; Sanderus,

Digitized by Google

rus, *bipedum mendaciſſimus*; Reſcius & Ræmundus, *teſtes ſubleſti & mendaces*; Sanderus, Eſtius, Tiletanus, *homines à Satana ad mentiendum auctorati*; Perronus, *ſemidoctus & garrulus Cardinalis*.

De Patribus verò, Cyprianus *in errorem pellectus, & amore Tertulliani, plus æquo tribuit virginitati*; Hieronymus, *tumidus ſenſu & opinione cælibatûs, immodeſtiæ habenas laxauit contra Iouinianum*; Auguſtinus, cum veteri Eccleſia docens, paruulos fidelium ſine baptiſmo morientes, damnari, *errauit*; Gregorius, *vir bonus, ſed amore & veneratione Sanctorum excæcatus fuit, & à mendacibus ſpectris, & Monachorum ſomnijs circumuentus*; Damaſcenus *periculosè de pane & vino Eucharistico eſt locutus*; Bernardus *indulget hyperbolis*; Fulbertus Carnotenſis, *melancholicus Monachus*. Breuiter SS. Patres, *teſtes omnes* οὐκ ἄξιοι ὀβολοῦ, *non digni obolo*, inquit vir quantiuis pretij, & obolo vno præponderans vniuerſis Patribus. Quid agas cum inſanis iſtis capitibus? Ad Hippocratem & cucurbitas. Quid enim litigando cum talibus proficies? Inſaniæ tantum ijs ſpumas ebullire facies. Quomodo in Ianſenium & me non ſæuiat, qui etiam SS. Patres ad ferulam ſuam Magiſtralem vocat? Et vt iterum videas, quanti auctoritatem eorum faciat: cùm tibi dixiſſem, *Niſi Eccleſiæ Catholicæ, & SS. Patrum Commentarios in manum accipitis, tenebras tantùm & errores loquentur vobis Scripturæ*; aſſilit ipſe ferociter: *Eccleſiæ adiungis Patres. Quid verò Patribus cum Eccleſia eſt commercij? Aut Patres conſtituunt Eccleſiam, aut ſuperuacuè Eccleſiæ iudicio adduntur.* Acutè! Quaſi addi non poſſint, non tanquam ipſi Eccleſia tota ſint; ſed nobilia tantùm quædam eius membra, quæ totius corporis cuſtodiant ſcientiam, & ex quorũ Libris eruendum eſt, quis fuerit veteris Eccleſiæ, in interpretatione ſacrarum Scripturarum, ſenſus. *Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malac. 2.

Alibi,

Alibi, *Patres*, inquit, *obſcuri ſunt comparatiuè ad Scripturas. Patres non poſſunt eſſe infallibiles Scripturarum interpretes; quia ex ſcriptis eorum multa ſunt ſuppoſititia, multa mendoſa, omnia ferè contradictionibus & humanis erroribus referta.* Ite nunc SS. Patres, cum tot veſtris lucubrationibus & orationibus; diabolaris Ludimagiſter certior nobis interpres, & amplius quàm vos vidit in Scripturis ſanctis. Catenam enim *contradictionum & humanorum errorum* nobis texitis, pro Commentarijs. Sed abſit, candidiſſimæ mentes & nitidiſſima ſpecula, vt fuſcæ & terreſtres animæ amplius quàm vos rapuerint diuinæ lucis.

CAPVT XII.

Stupor, aut malitia Ludimagiſtri in deprauandis alienis argumentis.

QVi tam hebes in nectendis proprijs ratiocinijs, non magnum acumen in diiudicandis alienis afferre potuit; niſi quòd interdum plus malitiæ, quàm ſtuporis adfuiſſe crediderim, in deprauandis quæ rectiſſima erant, vt conſequentia ad normam Dialecticę compoſita, enormis & delira appareret.

1. Dixeram in Criſi, quòd Lutherus & Miniſtri, *Philippicis ſuis concionibus, felle, ſulphure, igne in Papiſtas & totam religionem Catholicam ardentibus, Magiſtratus ſeculares ad expulſionem aut cædem Paſtorum ſtimulaſſent*; Dialecticus tuus ſic me refellit. *Iſta conſequentia*, inquit, *Lutherus debacchatus eſt in Monachos & Sacerdotes, ergo eos eiecit; eadem eſt cum hac: Elias irriſit Baalis Sacerdotes, ergo non fuit à Deo miſſus.* Quid ſtultius iſta tam diſſimili ſimililitudine? Ex Lutheri enim illa debacchatione non venit mihi vnquam in mentem, probare, Lutherum non fuiſſe à Deo miſſum; ſed manibus alienis eieciſſe, in quos tot conuitijs detonabat.

Alibi

Alibi clamat, *Quàm beſtialis hæc conſequentia eſt?* Ecquænam, mi Chryſippe? *Omnes baptizati quadantenus pertinent ad Eccleſiam, ergo ſubiacent Cenſuris & Canonicis pœnis Papæ Romani.* Cernis diſcipulum tuum, tam verſatũ in Iure Canonico, quàm in Dialecticis, & aliquando legiſſe Titulos & Gloſſas noſtras, *De Hæreticis.* Et tamen pergit: *Si bone Doctorcule,* inquit Doctor magnus, *ſubiacemus Eccleſiæ, quia baptizati, & non Gentiles, ſed Chriſtiani ſumus, quæ frons, quæ fides Giffordi, ſacerrimi nebulonis, Turcis & Mahometiſtis nos comparantis?* Dicet tibi apud Matthæũ Chriſtus Dominus: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Sed tamen etiam, *Compelle intrare.* II.

Matth. 18.

Luc 14.

Oſtenderam ex Cochlæo, Sandero, Dam. Goes, alijſque eius æui Hiſtoricis, tumultus & ſeditiones, à Luthero, Caluino, & ſectarijs motas aduerſus Paſtores & Sacerdotes Catholicos; vnde deiecti Cathedris, & in locum eorum intruſi hæreticorum Miniſtri: reclamat, *eſſe putida, flagitioſa, intoleranda mendacia,* & totam Academiam Louanienſem ad concionem conuocat. *Rogo vos Iuriſconſulti, Philoſophi, & quotquot Academiam Louanienſem exornatis,* inquit, *vt ingenuè & candidè profiteamini, quid de hoc Fromondi Achille iudicetis?* Quærit verò, An hoc meum argumentum: *Cochlæus, Sanderus &c. narrant Lutherum, Caluinum &c. tumultus illos excitaſſe, ergo ita eſt;* non ſit ſimile iſti: *Quidquid Lutherus, Caluinus &c. ſcripſere, hoc verum eſt: atqui ſcripſere, Papam Rom. ipſiſſimum eſſe Antichriſtum, ergo hoc verum eſt.*

Ang. lib. 2. c. 17. contra Gaudent.

III.

Rogaui autem Iuriſconſultos, & primus illicò reſpondit: *Non eſt ſimile,* inquit; *vnum enim eſt facti, alterũ iuris.* Teſtantur enim Hiſtorici noſtri de factis & rebus geſtis, quas nos etiam à patribus noſtris & ſenibus eodem prorſus filo deſcribi & narrari audiuimus. Stultiſſimæ autem inſaniæ eſt, exiſtimare tot homines regionibus diſſitos, vt aduerſus vos mentirentur eodem modo, vnà conueniſſe, nec innumerabiles oculos, quibus refutari poſſent, timuiſſe.

Papam verò Rom. *Antichriſtum eſſe*, res Reformati Iuris eſt, & dogma hæreſis veſtræ: quod non oculis, vt hiſtoriæ, cernitur, ſed in Scholis veſtris, auribus diſcitur. Vnde huius rei mille veſtri teſtes, vnus tantùm eſt.

IV. Nonunquam quatuor Philoſophiæ hîc Pædagogia in me concitat. *Obteſtor*, inquit, *voc omnes iuuenes, qui Louanij in Porco, Falcone, Caſtro, Lilio Philoſophia operamini, vt dicatis mihi ingenuè, an intra annum, quem abſurdius argumentantem audiueritis*. Sedete igitur Iudices Pedanei. Argumentum eſt iſtud: *Patres, Apoſtoli, Chriſtus verbis quibuſdam, creaturis benedixerunt, eaſque ſanctificauerunt conſecraueruntque, inuocatâ varijs formulis ſuper ac in ipſas Dei virtute, ad effectum aliquem moralem aut phyſicum in ijs operandum; ergo benedictiones panis, vini, aquæ, olei &c. quæ ab Eccleſia vſurpantur, licitæ etiam ſunt, nec ſuperſtitionis poſſunt inſimulari. Conſequentia eſt à ſimili, iuxta hoc axioma: Similium in quantum talium, ſimilis eſt ratio.* (Crit. c. 5.)

Vt autem, Iudices, cernatis in qua parte argumenti hæreat tam enormis abſurditas, audite Aduocatum aduerſæ partis. *Non enim*, inquit, *hæc ſunt ſimilia; panis cum calice gratiarum actionis* (de quo mentio 1. Cor. 10. v. 16.) *& ſal, myrrha, caro, bos, equus* &c. Sine dubio: nam bos & equus quatuor pedes, calix vnicum tantùm habet. Vnde, *ſi valeret hæc conſequentia*, ait, *liceret mihi concludere, canes, feles, mures, glires* &c. *baptizandos eſſe: conueniunt enim in eo cum hominibus, quòd ſint creaturæ Dei.* Quàm dialecticè & ſolerter! Quia nempe iuxta Theologiam Caluiniſticam, canes & feles ſunt tam capaces gratiæ & effectuum baptiſmi, quàm homines. (Deſperatiſ. Cauſ. c. 6.)

Deliras ergo cum gliribus & felibus tuis, mi Dialectice, & pro ſimilibus, diſſimilia nobis reponis. Sal enim, aqua, thus, altaria, templa, & ceteræ eius generis creaturæ, quibus Eccleſia benedictionem aut conſecrationem aliquam impertit, ſimilia ſunt in capacitate effectûs moralis, ad quem, per preces & ſupplicatio-

nes ad Deum, Eccleſia eas deſtinat. Nec vlla hîc vel apparens cum *Zoroaſtrais & Magicis ſuſurris*, vt calumniamini, affinitas; cùm à dæmone nihil, omnia à Deo expectemus.

Sed *à re*, *quæ materiæ vice*, ait, *fungitur in Sacramento, peſſimum ducitur argumentum ad reliquas creaturas.*

Verum eſt. Sed quis benedictionem ad materias Sacramentorum reſtrinxit? Ipſe nempe, ex capite ſuo, quæ ei officina eſt, in qua quidlibet ex quolibet fabricat. Nónne enim etiam ipſe inter res quibus Eccleſia benedicit, *ſalem* & *myrrham* recenſuit, quas nemo vnquam Sacramenti vllius materiam eſſe dixit?

De benedictione igitur generaliter nobis diſputatio fuit, quæ prout in hanc, aut illam materiam cadit, iuxta differentias formularum quibus peragitur, in varias benedictionum ſpecies diſpergitur.

Sic Chriſtus, non tantùm panem & calicem Eucharisticum in vltima cæna, ſed etiam panes hordeaceos & piſces benedixit in deſerto; & vos quotidie nobiſcum menſæ & epulis veſtris benedicitis. Matt. 14. Iona. 6.

Quid alia tam multa perſequar, & te, ac Lectores fatigem, in quibus Criſis noſtræ rectiſſima quæque in prauum torquet, quia nihil ab ea rectè dictum aut cogitatum, blitis & fungis probaturum in ſe recepit. Sed mihi (& omnibus, ſpero, qui tantillum habent cordis) tam parum perſuaſit, vt nondum in tota Criſi mea vel vnum argumentum adhuc videre poſſim, cuius me pœniteat.

Si vir, inquit, *& Profeſſor haberi velit, de cultu Mariæ, Imaginum, & Crucis diſputet.* Fiat. Louanium ergo veniat, ollam igni apponemus, & veterem cramben calefactabimus. Sed caueat *Dominos ſuos aſinos, porcos, ſcarabaeos, &c.* adducere, *plauſtra* ſua *ſtercoraria*, & totam illam crocorum eius officinam aduehere. Nos enim hîc cum talibus verberonibus, non argumentis, ſed fuſtibus diſputare ſolemus.

Theodo-

Digitized by Google

De Theodoro Simonis, Hueſdenſi Ludimagiſtro: dic ei, nihil à me mentitum aut fictum. Narrata oculis ſpectaui. Erratum abeo in perſona. Sum ille, qui adſtabam R° Ianſenio, quando de lapſu Liberij Papæ cum ipſo, ei erat diſputatio. Si placet, mittam etiam ei exemplar abiurationis hæreſis Caluiniſticæ, & profeſſionis fidei Romanæ, quam Louanij tunc apud Patres Societatis emiſit; penes me enim habeo. Valete.

CENSVRA.

Epiſtola hæc Eximij Viri D. *L. Fromondi* S. Theol. Doctoris, contra putidas Sycophantæ calumnias bono ſale condita, Caluiniſtarum doctrinam cum Hæreſibus olim damnatis conſentire demonſtrat, & vanos hominis Heretici aduerſus fidē orthodoxam inſultus reprimit validè & bellè. Dat. Louanij. Anno CIↃ. DC. XL. VI. Kal. Iulij.

IACOBVS PONTANVS *S. Theol. Doctor, Pontificius & Regius Librorum Cenſor.*

Omnis hæreticus hypocrita eſt, aliud agens & aliud ſimulans, & quidquid loquitur, licet videatur eſſe ſapientia, tamen ſtultitia eſt. Hieron. c. 9. Iſa.

Omnis hæreticus & falſum dogma defendens, impudenti vultu eſt. Idem c. 8. Eccle.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3